




J. N. Funccius, Cass.
A. 1746.

Lbc. 12

**SYMBOLÆ
LITERARIÆ**
AD
**INCREMENTUM
SCIENTIARUM OMNE GENUS**
A
VARIIS AMICE COLLATÆ.
TOMI SECUNDI
PARS II.




B R E M A E
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.
Anno MDCCXLVI.



SISTITUR
SECUNDA HAC PARTE
TOMI SECUNDI:

- I. JOH. NICOLAI FUNCII
DE JVRE HASTARVM DISSERTATIO. p.
193. - 246.
- II. HENRICI HEISEN, *Professoris*
Eloquentiae & Poëseos Publ. Ord. Biblio-
thecarii & Pædagogiarchæ Bremensis,
DISSERTATIO PRIOR DE IMPERATORIA
MAJESTATE A PRIMIS HISTORIÆ AVGV-
STÆ CONDITORIBVS INDIGNISSIME HA-
BITA. p. 246. - 322.
- III. JOH. PHILIPPI CASSELII
OBSERVATIÖ ANTIQVARIA DE PORCIS
IN LVSTRATIONIBVS & EXPIATIONI-
BVS, IN PRIMIS HOMICIDARVM, NAV-
FRAGORVM & INSEPVLTORVM. p. 323.
344.

IV.



IV. FERDINANDI STOSCH AD-
SERTIO INTERPRETATIONIS ELSNERIA-
NÆ VERBORVM PAVLI PHIL. II. 5. AD-
VERSUS EXCEPTIONES CL. SCHVLTENS
Fil. p. 344. - 375.

V. CONRADI IKENII DISQVISITIO
DE HELIOPOLITANIS MAJORVM KALEN-
DARVM DOMINIS p. 376. - 388.

VI. PAULI LAUUENRODIS CAR-
MEN DE LEGIS TRANSLATIONE & GRA-
TIA PER CHRISTI FIDEM JVSTIFICANTE,
p. 388. - 396.





I.

JOH. NICOLAI FVNCCII *

MARBVRGENSIS

DE

JVRE HASTARVM

DISSERTATIO.

CONSPECTVS :

1. Primum inter arma locum ubique obtinuit hasta. 2. Vnde dicta. 3. Quae fuerit hasta pura & prepilata. 4. Vallet etiam pro hasta cornus. 5. Hastarum origo incerta, sed antiquissima, vni adscribenda genti. 6. Cultu hastas prosequabantur diuino. Tom. II. P. II. O 7.

* En tibi iterum B. L. luculentissimum specimen invidenda eruditio*nis* Celeb. FVNCCII, quem meritò inter Principes in humanioribus literis Viros, quos sive suo hodiè complectitur, Germania numerat, cùique adeò nuper summo iure is habitus est honos, ut in honorarium, societatis, ita dictæ, latine quæ Jenæ erecta est, membrum, omnium suffragiis eligeretur. E. I.

Joh. Alchorphi: Iti de hastis veterum opus proficuum lucis primum in lucem editum, cum multis tabula*r* iconibus 1757. Amst. et Lijf.

7. Variis prodigiis confirmata. 8. Hinc, urgente necessitate, eorum implorabant opem.
 9. Hastam illorum addebat simulacris, quos in numerum Doorum reserabat. 10. Per hastam jurabant. 11. Fæderæ confirmabant. 12. Celibari hasta comebant sponsas. 13. Hastarum præcipius in bello usus. 14. Hasta priuari, maxime ignominiosum. 15. Milites illa quoque ludis exercebantur. 16. Regibus hastæ erant sceptri loco. 17. Quas ubique secum habere solebant. 18. Quibusque referta domi armamentaria habebant. 19. Hasta hostibus missa bellum indicebant. 20. Aut facialem ad regionis fines projiciebant. 21. Projecta terram sibi vindicabant. 22. Victa ciuitate hasta ponebatur cruentæ. 23. Sub trium hastarum jugum mittebant viatos. 24. Atque sub hasta captitii ac hostium omnes manubie venales erant. 25. Fortes hasta donabantur. 26. Et hasta jurisdictionis signum erat. 27. Et publicæ fidei, quæ præconis, aut præatoria, cum res publice venderentur. 28. Proscriptorum bona non sine odio sub hasta, etiam fiscali, venire solebant. 29. Meliori successu, quorum justa possessio. 30. Quæ hasta salutis. 31. Etiam sub hasta vestigalia & tributa locabantur. 32. Qui vendebant sub hasta, magistri nominabantur. 33. Dissertationis ad alios remissio.

§. I.

§. I.

Hastarum communis inter omnes gentes atque populos fuit usus, ab antiquissimis temporibus: quod esset ad pugnandum atque hostem e longinquu petendum apertissimum: ut econtrario clypei ad corpora tegenda ictusque excipiendo compo- siti. Hinc & Hebrai Hastarum atque cly- peorum denominatione armorum quad- cunque genus, ad nocendum vel defen- dendum olim pertinentium, comprehen- dunt. a) Neque adeo mirum, principes olim atque heroes hastam fortitudinis, gloriae, ac summae auctoritatis symbolum habuisse, & eam si dixerint, omnia dixisse. Ita quoque Achillis apud HOMERVM: b)

Κέρων, ήν̄ ἄρα μοι γέρας ἔξελον τῆς Ἀχαιῶν,
Δερὶ δέ μου πτεάτιστα, πόλιν ἐυτείχεσ πέρσας,
Τὴν ἄψ ἐκ χειρῶν ἔλετο κρείων Ἀγαμέμνων.

Puellam, quam mihi præmium exer-
merant filii Achivorum,
Hastaque mea acquisiveram, urbe bene-
munita eversa,
Hanc rursus ex manibus eripuit mihi rex
Agamemnon;

O 2 Puell-

a) 2 Chron. c. xi. v. 12. & c. 25. v. §.

b) Iliad. I. 16. v. 56.

Puellam dicit acquisiuisse hasta, i. e. armis & fortitudine sua. Recte ADRIAN. TVRNEBVS c) judicat, nos semper in manibus tela militaria gerere, etiam cum terram subigimus. Nam & hasta pro boum stimulo vtimur, & hasta tardos increpamus boues. Vnde VIRGILIVS. d)

*Omne æuum ferro teritur, versaque ju-
vencum*

Terga fatigamus hasta - - -

Metaphorice TVLLIVS argumenta orationis meliora, quæ ad scopum, velut sagitta, singulari quadam vi & fortitudine penetrant, hastas vocat.

*Non esse difficile, inquit, e) oratoris, e-
jus partis, quamcumque defendat, auctorem
aliquem inuenire: a quo cum amentatas hastas
aceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque
torquebit. Alibi: f) Priuata' judicia ma-
ximarum quidem rerum, in jurisconsultorum
mihi videntur esse prudentia. Nam & adsunt
multum, & adhibentur in consilio: & patronis
diligentibus, ad eorum prudentiam configuen-
tibus, hastas ministrant. FESTVS: g) Ad-
uelitatio, jactatio quedam verborum figurata*

ab

c) Aduerfar. l. 29 c. 25.

d) Æneid. l. 9. v. 609.

e) De oratore l. 1. c. 57.

f) Topic. c. 17.

g) V. Aduelitatio.

ab hastis velitaribus. Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, i. e. volantes.

§. II.

Hasta VARRONI h) videtur esse dicta, quod stans solet ferri; ISIDORO, i) nomen ab astu sumfisse, unde & astutia. Germanicum illi valde propinquum vocabuluni Stange, vetustissimum & maxime aptum ad hostes repellendos instrumentum. Lepidum magis est, quam verum, quod CAS-
SIODORVS k) memoriae prodidit, inter ipsos quoque aduersarios, ut scius, non erant prius armata certamina: sed pugnis se quamlibet feruida lacebat intentio. Vnde & pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo & bellum placuit nominari. Constat vero, Beli nomen, quod dominum significat, regum omnium esse commune; & bellum ante dictum duellum, vt duidens bidens, duis bis, Dnilius Bilius, duonum bonum l).

§. III.

ISIDORO m) hasta, cuius diminutiu-
mum hastile facit, est contus cum ferro,

O 3

vt

h) De lingua Lat. I. 4. c. 24.

i) Orig. I. 18. c. 7. init.

k) Variar. I. 1. epist. 30. oper. p.m. 31. Confer. ISI-
DORVS orig. I. 18. c. 1.

l) Vid. FESTVS h. v.

m) Origin. I. 18. c. 7. init.

vt ita solum a conto differat, quod hic ferrum non habeat, sed tantum sit cuspidē acutā. Mirandum adeo grammaticum fugere, veteribus quæ fuerit Romanis *hasta pura*. Certe nihil aliud fuit, quam hasta sine ferro; sicut charta argumentumue purum, cui nihil inscriptum, vel insculptum; vestis pura, cui nihil, e purpura attextum VIRGILIVS; n)

Ille, vides, pura juuenis qui nititur hasta?
 Vbi SERVIVS; *Pura*, i. e. *sine ferro*. Nam hoc fuit præmium apud maiores ejus, qui tunc primum vicissent in prælio. o) MARCELLVS DONATVS p) sibi persuadet præpilatas hastas dici, qui ferreas habeant cuspides, quasi præferratas; vt apud HERODOTVM q) τυλωτὰ obueniant. Sed fallitur, & non sunt ferrea cuspidē exacutæ; sed, vt illæ puræ, sine ferro, & pilæ instar obtuso acumine rotundæ. r) Ita PLINIVS s) de locustæ marinæ cornibus scribit; *sunt propriæ rotun-*

n) Æneid. I. 6. v. 760.

o) Confer. SVETONIVS Claud. c. 28.

p) Dilucid in Sueton. Calig. c. 2. p. m. 605. Confer. RHODSISNVS leet. antiq. I. 24. c. 16. p. m. 1168.

q) Hist. I. 7. Sunt. vero τυλωτὰ, velut callo obdurata, quem τύλος græci vocant.

r) Vid. LIPSIVS poliore. I. 4. dialog. 4.

s) Histor. nat. I. 9. c. 30.

rotunditate præpilata. Idem: t) elephan-
tes, seu boues Lucas, inductos dumtaxat in
circum, atque ut contentus eorum increaseret,
ab operariis, hastas præpilatas habentibus, per
circum totum actos; quos utique lacestere
magis, quam ad internacionem ferro acu-
to perfodere voluerunt. Apud A. HIRTI-
VM, v) milites bestias manibus pertra-
ctant; earumque tarditatem cognoscunt,
equitesque in eos pila præpilata conjici-
unt; atque in consuetudinem equos pati-
entia bestiarum adduxit. Apud LIVIVM,
x) milites rudibus inter se, in modum ju-
stæ pugnæ, concurrerunt: præpilatisque
missilibus jaculati sunt; semet vero inui-
cem trucidare noluerunt. Neque acumi-
nis & verborum quasi fulminum, sed ob-
tusæ exercitationis respectu QVINTILIA-
NVS, y) metaphorice, declamationibus,
ait, ad pugnam forem, velut præpilatis,
exerceri solebamus.

§. IV.

Cornus, quam vernacula Haydorn vo-
camus, haud raro apud Latinos poetas
pro hastili ponitur: quod ex corno ple-
rumque conficiebatur. VIRGILIVS z)

O 4

Vo-

t) Lib. 8. c. 6.

v) De bello Africano c. 72. extr.

x) Lib. 26. c. 51.

y) Instit. orat. I. §. c. 12.

z) Aeneid. I. 9. v. 698.

- - - - Volat Itala cornus
 Aëra per tenuem - - -
 Et SILIVS: a)

Validam torquebat tertia cornum.

Famosa Romuli hasta cornea. Et sacra cornus olim in Palatini radicibus, Auentinum versus habebatur, quam superstitione plebecula cultu plane diuino prosequi non verebatur, quod eam Romulus jactando plantasset. Ea de re PLVTARCHVS b) memoriaz prodidit, eo loco, quo ex Palatio in circum maximum itur, sacram cornum fuisse; addita fabula, Romulum eo, sui experiundi gratia, ab Auentino lanceam corneam jaculatum esse; eam vero defixam altius, annitentibus multis, nunquam conuelli potuisse; lignumque nactum, plantiferam humum germihibus ramisque emisis in eximiæ altitudinis cornum increuisse, ac velut sanctissimum templum in magna religione fuisse. Hinc SERVIVS c) illud Virgilii *jaculis increuit acutis per reuiruit exposuit, &, tractum, addidit, ex historia.* Nam Romulus captato augurio, hastam ex Auentino colle in Palati-

ym

a) Silv. 13. 204.

b) Romulo p. m. 10. D.

c) Æneid. 1. 3. v. 46.

um jecit : quæ fixa fronduit , & arborem fecit.
Hinc OVIDIVS : d)

Palatinis hærentem collibus olim,
Cum subito vidi frondescere Romulus ha-
stam :

Quæ radice noua , cum ferro stabat ad-
acto.

Et jam non telum , sed lenti viminis arbor ,
Non exspectatas dabat admirantibus um-
bras.

Sic prodigium , vel ea conficta fabula , Ro-
mani ceperunt , statum imperii vietricibus
armis diu florentem fore.

§. V.

Falluntur qui hastarum originem apud
Hetruscos querunt e) Ut dixi apud o-
mnes gentes , atque etiam in primis apud
Hebreos in vsu fuerunt . Hasta רֶמֶח &
תְּנִית constabat scapho ligneo a superiori
parte cuspidé ferrea לְחָבֶב propeque acumi-
nata instructo : & erat varix longitudinis ,
vt non solum cominus ea pugnaretur ; sed
eminus quoque in hostem imitti posset .
Pinehas , Elazaris filius , & Aharonis ne-
pos ex Israélitis quandam sua astuantem
fasciuia publice cum scorto transfixit ha-

O s sta

d) Metamorph. I. 15. v. 560.

e) Vid. PITISCVS lex. antiqu. Roman. v. *hasta* init.

sta. f.) Debora gloriatur vi^ctoria sua, cum neque clypeus, neque hasta, quibus co- nati fuerint experiri hostes, in quadra- ginta millibus Israeli^s conficeretur. g)

Immensæ magnitudinis erat hasta Gol- athi Philistæi. h.) Et frequens hastarum apud Ægyptios usus. i) Minerua apud HO- MERVM k) hoc majestatis signo armata proponitur.

"Ειλετο δ' ἄλκιμον ἔγχος, ἀκαχμένον οὔξει
χαλκῷ,
βειθὺ, μέγα, σιβαρὸν, τῷ δάμνοι, σι-
χας αὐδεῶν
Ἡρώων τοῖσίντε ποτέσσεται οβρυκοπάτεν.

*Suntit autem validam hastam acumina-
tam acuto ære,
Grauem, magnam, firmam, qua do-
mat urdines virorum
Heroum, quibus utique irasciuntur forti pa-
tre nata.*

Achilles, apud eundem, l)

"Ἐκ δ' ἄρα σύριγγος πατέρων ἐσπάσατ'
ἔγχος,

Bpt-

f) Numer. c. 25. v. 7.

g) Jud. c. 5. v. 8.

h) I Samuel. c. 17. v. 7.

i) Jerem. c. 46. v. 4.

k) Odysseæ l. I. v. 99.

l) Iliados l. 19. v. 387.

Βειθὺ, μέγα, σιβαρὸν, τὸ μὲν ὁ δύνατ' ἄλλος Αχαιῶν πάλλειν, ἀλλά μιν ἦστι ἐπίστατο πῆλαι Αχιλλεὺς.

*Ex armamentario patriam extraxit hastam,
Grauem, magnam, firmam, quam quidem non poterat aliis Achiuorum
Tractare, sed ipsam solus sciebat vibrare Achilles.*

De Persarum doryphoris testatur CVRTIVS, m) quos ait, ex immortalium numero corporis regii fuisse custodes, & in aula excubasse: *υπλοφόρες* etiam dictos, obseruat BRISSONIVS, n) quod aurea mala hastis præfixa ferrent; eorundemque satellitio, post Darium victum, ex Aeliano docet, Alexandrum M. vsum fuisse. o) Græcos hastis cominus pariter atque eminus pugnasse, pluribus demonstrat PEIFFERVS, p) qui & hastæ partes singulas seorsim describit. De Macedonibus omnium minime dubitandum; quorum exer-

m) Lib. 3. c. 3. n. 15.

n) De Persarum regno I. I. §. 194. seq.

o) L. c. §. 197.

p) Antiq. Græcar. I. 3. c. 22. Confer. PAVSANIAS Lacon. s. Græciae I. 3. c. 3. vbi docet, ex ære, heroum temporibus omnia pariter arma fuisse, hastas vero ima tantum, & summa cuspidæ æreas.

exercitationem in primis admirabantur ab illis oppugnati Assaceni, Indiae populi, & pila muralia, & excussas tormentis praegraues hastas negabant conuenire mortali bus. q) Alexander M. a conuiuio impotens animi percurrit in regiae vestibulum vigili excubanti hastam abstulit, eaque Cliti latus transfixit. r) Et Macedones hastis junctis, valli vicem sustinentibus, non leue Romanis damnum intulerunt. s) Macedonum antiquissimorum σάρισσα hastā prælonga est. Ita LIVIVS; t) arma, clypeus, sarissæque illis, sc. Macedonibus; Romano scutum, majus corpori tegumentum, & pilum, haud paulo quam hasta vehementius ictu missus que telum. Idem; v) impeditus intercursu suorum usus prælongerum hastarum (sarissas Macedones vocant) intulere signa Romane legiones, & pila in perturbatos conjecere. Hasta, siue telum Gallis erat gesum: FESTVS x) graue jactum interpretatur. CAESAR: y)

q) Q. CVRTIVS l. 8. c. 10. n. 32.

r) Idem l. 8. c. 1. n. 49. seqq.

s) Vid. LIVIVS l. 36. c. 18.

t) Lib. 9. c. 19.

v) Lib. 37. c. 42. confer. l. 36. c. 18. & ejud. l. 38.

c. 7. VEGETIVS l. 3. c. 24. LVCANVS l. 8.

v. 298. OVIDIVS metamorph. l. 12. v. 479. Q.

CVRTIVS l. 4. c. 15. n. 13.

x) Voc. Gesum.

y) Bell. Gall. l. 3. c. 4.

hostes ex omnibus partibus, signo dato, decur-
rere, lapides gæsaque in vallum conjicere. At-
qui LIVIVS z) etiam tribuit leuibus inter
Romanos militibus. Leues autem inquit,
qui hastam tantum gæsaque gererent, voca-
bantur. Alibi notat a) pastorali habitu, a-
grestibus telis, falcibus, gæsisque binis
armatos. Neque adeo mirum, a VIRGI-
LIO b) & qui eum imitatus est, SILIO
ITALICO, c) gæsa vocari *Alpina*: cum a
Romanis Galli etiam ipsi cis-& trans alpi-
ni nominantur. Longenimis petita TVR-
NEBI d) & TAVBMANNI e) interpreta-
tio, *Alpina* vocari, quasi præstantiora:
cum montium siccior & aridior habitus
lignum magis duret & adstringat, ventis-
que ibi ad soliditatem tundantur arbores:
hinc & Homerum dicere, hastam Achil-
lis e vertice Pelii montis cæsam. Criticis
εγχος ἀνεμοτρεφές durum & rigidum ha-
stile. Quid ni paucis dicendum, gæsa *Al-*
pina vocari, qua sunt Gallica? Tantosque
viros non potuit latere POLLVCIS senten-
tia, cui γαυσὸς est δόξη οὐλοσιδηρου, *hasta pu-*
re

z) Lib. 9. c. 36.

a) Lib. 9. c. 36.

b) Æneid. l. 8. v. 661.

c) Lib. 1. v. 629.

d) Advers. 1.23. c. 3.

e) In Virgil. Æneid. l. 8. comment. p. 852.

re ferrea. f) Germani lanceam, vel hastam, quam ad defensionem suam ut plurimum circumferebant, frameam nominabant: vnde vetus vocabulum eorum *pfiem* superesse putant. Diserte TACITVS: g) *hastas, vel ipsorum vocabulo, frameas gerunt.* Vnde JVVENALIS: h)

~~~~~  
*Tarpeiaque fulmina jurat,  
 Et Martis frameam, & Cyrrhaei spicula  
 vatis.*

TACITVS i) frameas describit, angusto & breui ferro; sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, veleminus pugnant: Vulgo Romani eminus hastis, cominus gladiis uterantur. vid. CICERO de senectute c. 6. extr. adeo quidem, ut eques scuto frameaque contentus sit: pedites quoque missilia spargeant. Eodem teste, k) uxoribus, dotis loco, munera adferunt, non ad delicias muliebres qualitatem, nec quibus noua nupta comatur; sed boties, & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. Refellendus hinc ISIDORVS, l) cui *framea gla-*

f) Vid. RHODIGINVS antiqu. lect. 1. 21. c. 18.

g) Germ. c. 6.

h) Satyr. 13: v. 78:

i) L. c.

k) Germ. c. 18.

l) Orig. 1. 18. c. 6.

gladius est ex utraque parte acutus, quam vulgo spatam vocant. Ipsa est romphea. Fra-  
mea autem dicta, quod ferrea est. Nam sicut ferramentum, sic framea dicitur, ac proinde omnis gladius framea. Tacitus autem vo-  
cabulum esse germanicum fatetur, quod omnium minime a ferro deriuari potest:  
atque etiam ille grauis historicus diserte frameam a gladio distinguit. Sic satis a-  
perte, ut pasim alibi in deriuandis Roma-  
norum vocibus, Isidori fides vacillat.

§. VI.

Hastas ab antiquissimis temporibus,  
teste JVSTINO, m) homines cultu diui-  
no prosecuti sunt: forsan quia Joui sacræ  
arboris surculi. Siquidem mortales, nul-  
la doctrina imbuti, nec lege, nec ratione,  
verum suo quisque ingenio, ac prout im-  
petus animi tulit, deos geniosque ado-  
ptarunt, ac pro numinibus coluerunt. n)  
In primis querum, maximisque arbores  
deos habuerunt: quas violare capitale est.  
o) Sunt qui arbitrantur, visco, quod in  
quet-

- m) Hist. Philipp. l. 43. c. 3. Confer. ALEXANDER  
AB ALEXANDRO genial dier. l. 6. 26. p. 2004.  
seq. cum TIRAQVELLI annot. RHODICINVS  
lectione antiquarum l. 21. c. 16.  
n) PLINIVS hist. natur. l. 2. c. 7.  
o) Vid. Q. CVRTIVS. l. 8. c. 9. n. 34.

querna arbore nascebatur, nullum præfentius numen esse. p) De lucis Germanorum, Græcorum, & Romanorum commemo-  
rare superuacuum est: q) *Hæc fuere, PLI-  
NIVS r)* ait numinum templa, priscoque ritu  
simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem ar-  
borem dicant. Ex eo hastarum diuino cultu,  
JVSTINVS quoque profitetur, s) Roma-  
norum esse religionem, ut singulis Deo-  
rum simulacris hastam darent. Et hastas  
pro Marte Romanos coluisse, Varronis  
auctoritate, ARNOBIVS t) memorix pro-  
didit. PLVTARCHVS: v) Tradunt veteres  
lanceam *Quirim* vocare solitos: ab Carete Ju-  
nonis signum in pilo sublatum. Ad hæc, lan-  
ceam in regia positam, Martem vocari. &c.  
Hastata apud HOMERVUM x) describitur  
Minerua. Chæronenses deorum omnium  
maxime colunt sceptrum illud, quod Jou  
fabricasse Vulcanum, Homerus cecinit:  
a Joue acceptum, Mercurium dedisse Pe-  
lopi, Pelopem Atreo reliquisse, Atreum  
Thyesti, a Thyeste per manus traditum  
te.

p) PLINIVS hist. natur. 1. 16. c. vlt.

q) Vid. DEMPSTERVS paralip. ad Rosini antiq.  
Rom. 1. 1. c. 13.

t) Hist. natur. 1. 12. c. 1.

s) Loc. cit.

e) Aduerfus gentes 1. 6. pag. 116. edit. Elmenhor-  
stanz.

v) Romulo p. m. 12. D.

x) Odysseæ 1. 1. v. 99. seqq.

tenuisse Agameninomem. Τέτο δν τὸ σκῆπτρον σέβεσιν, δόρυ ὄνομάζοντες. καὶ εἶναι μὲν τὸ θεῖότερον όχι πίκα δηλοὶ τὸ ἔστες ἀνθρώπους ἐπιφανεῖς εξ αὐτῶν. Hoc præcipue sceptrum venerantur, hastam nominantes. Diuitiatis eius nescio quid inesse declarat id, quod ex ipso ab hominibus cernitur. y) Post pauca: z.) ναὸς δε όκι ἔσιν αὐτῷ δημοσίᾳ πεποιημένος. ἀλλὰ κατὰ ἕτος ἔνασον ὁ ιερωμένος ἐν οικήματι ἔχει τὸ σκῆπτρον. καὶ οἱ Θυσίαι αὐτὰ πᾶσαν ἡμέραν θύονται, καὶ τράπεδα παρακεῖται παντοδαπῶν ιρεών καὶ πεμψάτων πλήρες. Templum ei nullum est publice dedicatum: sed quotannis sacri eius curator in suis ædibus sceptrum (hastam) statuit. Ei res diuina quotidie fit, mensa apposita, cuiusvis generis carnibus & bellariis referta. Alexander, primus Pheræorum tyrrannus, hastam, qua Polyphronum aunculum morti dedit, consecravit, exornansque coronis illi, velut deo, obtulit, ac Tychonem eam appellauit. a) Ita quoque de Cæneo EVSTATHIVS, super Iliaodos primum, memorię prodidit, cum Neptuni munere ex puella vir factus esset, nullisque vulneribus afficiendus, ut Græci T. II. P. II. P. di-

y) PAVSANIAS Bœotic. siue Græc. l. 9. c. 40. p. m. 795.

z) Cap. 40. extr.

2) PLVTARCHVS Pelopidae vita p. m. 86. C. Confer. RHODIGINVS lection. antiqu. l. 21. c. 16. p. m. 1167.

dicunt, ἀτερτος, in medio foro hastam sur-  
rectam fixisse, eamque pro Deo haberi  
jussisse.

## §. VII.

Recensent multa hastarum prodigia; Lanuuii hastam se commouisse; b) hastam Martis Prænesti sua sponte promotam; c) Romæ ad Monetæ duarum hastarum spicula arsisse; d) Fregellis in domo L. Atrei hastam, quam filio militi emerit, interdiu plus duas horas arsisse ita, ut nihil eius ambureret ignis. e) Lanuuii ad Junonis statuam hastâ erat, quæ prodigo mota sa-  
pe fuit. Martis quoque statua in Numæ sacrario ambabus manibus hastam ferebat,  
quæ cum moueretur, hostiis majoribus a pontifice maximo prodigium illud expia-  
batur. f) Sic enim M. Antonio & A. Postu-  
mio cosi. factum est senatusconsultum:  
QVOD C. JVLIVS L. PONTIF. FILIVS NVNTIA-  
VIT IN SACRAPIO IN REGIA HASTAS MARTI-  
AS MOVISSE DE EA RE ITA CENSVERVNT VII  
M. ANTONIVS CONSVL HOSTIIS MAJORIVS  
JOVI ET MARTI PROCVRARET ET CETERIS  
DIS QVIBVS VIDERETVR PLACANDIS VTI  
PRO-

b) LIVIVS 1. 21. c. 62;

c) Idem 1. 24. c. 10.

d) Idem 1. 33. c. 11.

e) Idem 1. 43. n. 13.

f) A. GELLIVS noct. Attic. 1. 4. c. 6.

PROCVRASSET SATIS HABENDVM CENSVERVNT SI QVID SVCCIDANEIS OPVS ESSET  
ROBIGVS ACCEDERET.

§. VIII.

Præsentibus periculis, & fortis urgente  
necessitate, ipsius etiam hastæ implora-  
bant fidem atque auxilium: ut apud VIR-  
GILIVM g) Turnus,

*Quæ in mediis ingenti adnixa columnæ  
Ædibus adstabat, validam vi corripit ha-  
stam,  
Actoris Arunici spolium: quassatque tre-  
mentem,  
Vociferans: nunc, o nunquam frustratō  
vocatus  
Hasta meos, nunc tempus adest*

§. IX.

Deorum manūm apotheosin quoque, ha-  
sta addita factam esse, conantur probare  
ex LVCANO, h) vbi Cæsaris diuini im-  
mortalitatē innuens,

*Bella, inquit, pares superis facient ci-  
uilia diuos:  
Fulminibus manes radiisque ornabit, & hastis;  
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.*

P 2

Vt

g) Æneid. 1. 12. v. 92.

h) Lib. 7. v. 457. seq.

Vt supra docuimus, hastam sacram deorum immortalium statuis appositam fuisse: procul dubio illam quoque heroibus, post fata in Deorum numerum relatis addiderunt: vt bellorum praesides esse, istorum bella gubernari auspicis, atque armis eam gloriam meruisse, significarent. Eius vero nullum in Lucani carmine vestigium: cuius meliores libri non *hastis*, sed *astris* habent. Et sic legendum esse, ex nummis quoque patet Julii Cæsaris, quibus stella apposita, diuinitatis index appetat. Verissimum tamen est, illis, quos voluerunt esse Deos, diuinitatis quoque signum addidisse. Nec raro heroes hastas suas veluti res sacras deorum simulacris obtulerunt. Vid. RHODIGINVS lection. antiqu. l. 21. c. 16.

## §. X.

Vt hastam veteres diuino cultu profecti sunt: per istam quoque sanctissimum ius jurandum præstare consueuerunt. Ita apud ÆSCHYLV M<sup>i</sup>) Parthenopæus per hastam jurat, eamque pro deo colit. Et Græcorum in proverbiū abiit τὸ ναύεος δόρυ, Cænei *hasta*, qui, Neptuno annuente, in virum e puerla conuersus, id obtinuit, ne faucius ullis vulneribus fieri, aut ferro,

oc-

i) Sept. contra. Theb. n. 535.

occumbere posset. Hoc vero illi moris  
fuit, vt omnes, qui ad eum venirent, per  
hastam suam jurare juberet. k) Æacides,  
i. e. Achilles, Æaci nepos, apud VALERI-  
VM FLACCVM: l)

*Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis  
hastam,  
Quæ neque jam frondes virides, nec pro-  
feret umbras,  
Vt semel est euulsa jugis, ac matre per-  
emta  
Fida ministeria, & duras obit horridæ  
pugnas,  
Tector; & hoc omni duxor tibi numine  
firmo. &c.*

§. XI.

Hinc foederis pangendi & religiose  
virinq[ue] seruandi signum atque pignus ali-  
quand[us] gentibus hasta fuit. Sic Macroni,  
(uæ gens Persica est, cum hastam more  
ipsorum barbaricam tradunt, aliamque,  
more gentis, quacum foedere junguntur,  
accipiunt, se maxima & firmissima pa-  
ctione teneri, & pari vinculo adstringi pu-  
tabant, m)

P 3

§.

k) Vid. ERASMVS chiliad. 4. cent. 1. adag. 80.  
RHODIGINVS lection. antiq. 1. 21. c. 16.

l) Argonaut. 1. 3. v. 707.

m) Vid. XENOPHON de Cyri minoris expediti-  
one 1. 4. ALEXANDER AB ALEXANDRO ge-  
nial dier. 1. 5. c. 3. p. m. 623.

## §. XII.

Et hoc in nuptiis apud veteres Romanos moris fuit, ut sponsæ caput *hasta* celibari comeretur. Vnde ARNOBIVS: n) Nubentium crimem celibari *hasta* mulcetis. Et hanc veterum consuetudinem OVIDIUS: o) respxit, vbi:

*Nec tibi, quæ capide matura videbere  
matri,  
Comat virgineas hasta recurua comas.*

Vti scilicet Juno Curitis, quæ cum hasta singebatur, & in cuius tutela matronæ erant, recens nuptæ propitia pulchram curaret procreandam prolem, suaque hasta fortiter aduersus hostes quoscunque veteretur. PLVTARCHVS p) notat, quod nubentis comam pilo, siue hasta discriminant, ad illud spectare, primas nuptias illarum scilicet à Sabinis raptarum, prælio quasi & hostiliter initas esse. Diferte vero in hunc ritum inquirit quæstionibus centuriatis Romanis: q) *Cur nubentium*

n) Aduersus gentes l. 2, pag. 54. edit. Elmenhorstianæ: Confer. ad h. 1 ELMENHORSTIVS obseruat, pag. 63. BRISSONIVS de ritu nuptiarum p. 218. VOSSIVS de idololatria l. 2, c. 26. p. 434.

o) Faſtor. l. 2. v. 560.

p) Romulo p. m. 9. C.

q) Oper. tom. 2. p. m. 629.

um comam hastæ cuspide discriminant? An no-  
ta hec est, vi  $\mathcal{E}$  bello primarum conciliata con-  
nubia fuisse? An discunt, ut viris junctæ pu-  
gnacibus  $\mathcal{E}$  hellicosis non mollem  $\mathcal{E}$  effeminatum,  
sed modestum cultum adhibeant? - - An diuorti-  
un ea res denotat, vt solo ferro nuptias disso-  
ciandas? An pleraque connubialia ad Juno-  
nem referuntur, cui hasta existimatur sacra,  
pene omnia hasta sustentantur dictaque ea co-  
gnomine Quiritis est. Hastam enim quirim  
prisci dixerunt. Hinc  $\mathcal{E}$  Martem vocatum  
predicant Quirim. FESTVS: r) Celibari ha-  
sta caput nubentis comebatur, quæ in corpore  
gladiatoris stetisset abjecti occisiique, vt quem-  
admodum illa conjuncta fuerit cum corpore gla-  
diatoris, sic ipsa cum viro sit. Vel quia ma-  
tronæ Junonis Curitis in tutela sint, quæ ita  
appellabatur a ferenda hasta, quæ lingua Sa-  
biorum Curis dicitur. Vel quod fortes viros  
genituras ominetur. Vel quod nuptiali jure  
imperio viri subjecitur nubens: quia hasta sum-  
ma armorum  $\mathcal{E}$  imperii est.

### §. XIII.

Vtebantur hastis non solum pedites,  
sed ipsi etiam equites; s) & hi quidem ut  
plurimum, aduersus hostem longius ab

P. 4. equo

r) Voc. Celibari hasta.

s) Nahum c. 3. v. 3. 2 Maccabeor c. 5. v. 2. 3. LIVI-  
VS 1.2. c. 6. l. 6. c. 13. l. 40. c. 40. CÆSAR de  
bello ciuili l. 1. c. 79. VEGETIVS 1.2. c. 14.

equo distantem, longioribus. Ea militaris hæsta, Gracorum dægu, nomen fere commune est, & in plura valet, eam non solum denotans grandem qua cominus vtebantur, verum etiam leuiorem, quam eminus jaculari solebant. STRABO, t) Eubœam describens, alii, inquit, vtuntur missilibus, vt sagittarii, funditores, jaculatores; alii cominus valentibus, vt qui gladio, hastaque protenta. Est enim duplex hastæ usus: unus cominus, alter jaculando. Sicut & contus virique inservuit usui, quæ & cominus, & missili res geritur: idemque sarissa præstat & pilum. Euboënses autem valabant pugna stataria, quæ conserto pede & cominus peragitur. Hastis enim vtebantur porreclis, vt Homerus ait:

*Pugnaces, hastis intentis qui cupiebant  
Rumpere thoraces.*

Cum, ut appareat, missiles alterius generis fuerint hastæ, qualis Achillea fraxinus Pelias, quam vibrare & conjicere solus Achilles poterat, & qui dicit:

*Tantum hastæ jaculor, quantum haud  
æquare sagitta  
Quisquam aliis valeat.*

Misilem hastam intelligit. Et qui singulari certamine congregiuntur, primum hastis mis-

t) Geogr. I. 10. p. 309.

filibus rem gerere scribuntur, deinde ad gladios venire. Cominus autem pugnaces dicuntur, non modo qui gladio utuntur, sed qui collato pede hastam manu tenentes pugnant. Misilis hasta, sive telum, quod γέρσφον Græci vorcant, POLYBIO teste, v) habebat in longitudine duos plerumque cubitos, in crastitie unum digitum. Ferrum erat vnius spithamæ, atque adeo extenuatum, & in aciem productum, ut necessario statim a primo jactu inflectatur, nec possint hostes retorquere. Hæc, quia mole & forma minor, plerumque dicta est *hasta velitaris*. Nam *velites*, quasi *volites*, aut *volitantes*, milites sunt leuis armaturæ: quamvis me non lateat, ab aliis deriuari a βάλλειν, sive jaculando. x) LIVIVS: y) ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maxime vi- gore ac levitate corporum veloces, eis parvae breuiores, quam equestres & septena jacula quaternos longa pedes data; præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. Habuit ergo hastas velitares quisque septem: quod eius primum ac præcipuum in pugna munus

P 5

fuit

v) Lib. 6. c. 20.

x) Vid. VEGETIVS de re militari l. 3. c. 16. & 24.  
FESTIVS v. aduelitatio NONIVS c. 18. n. 12.  
TVRNEBVS aduers. l. 14. c. 14.

y) Lib. 26. c. 4. Conf. PLINIVS. hist. natur. l. 28  
e. 4.

fuit jaculari. Idem: z) *Consul*, quia non  
cominus pugnam, sed procul, locis oppugnandi,  
futiram, praeceperat animo, ingentem  
viam pilorum, velitarium hastarum, sagittarum  
paraauerat. A velitari & manipulari  
hasta differebat amentata a) quæ grauior  
erat & major, & vt maiore impetu tor-  
queretur, b) habena, vel amento media  
vinciebatur, cui digitus inferebatur, ad  
eonatum jaclus adjuuandum. c) Amentum  
dicitur lorum, quo telum regitur &  
emittitur. Sic humor, apud LIVIVM, d)  
jaculorum amenta emollierat. SILIVS ITA-  
LICVS: e)

— Omnis retro statu occurfante refertur  
Lancea, & interdum Rutulis cadit irri-  
tus iclus.

Atque idem statu Panorum tela secundat,  
Et velut amento contorta hastilia turbo  
Adjuuat.

Lo-

z) Lib. 38. c. 20.

a) Licet velitibus quoque hastæ fuerint traditæ  
amentatae. CICERO in Bruto c. 78.b) Hinc metaphorice TVLLIVS de oratore l. I. c.  
57. argumenta ab alio petita vocat amentatas  
hastas acceptas oratoriis lacertis viribusque tor-  
quendas.c) Vid. TVRNEBVS aduers. l. 14. c. 11. l. 26. c.  
12. DONATVS dilucid. in Sueton. Caligulam  
c. 20. p. m. 605.

d) Lib. 37. c. 41.

e) Lib. 9. v. 507.

Lorum istud, reuinctum in media circiter  
hasta, manui & primoribus digitis illiga-  
bant leuiter, in emissu cum impetu sol-  
uendum. Hinc ISIDORVS: f) Lancea est  
hasta, amentum habens in medio: dicta autem  
lancea, quia æqua lance, i. e. æquali amento  
ponderata vibratur. Amentum vinculum  
est jaculorum hastilium, quod mediis hastis  
aptatur. Et inde amentum, quo media hasta  
relijatur, ut scilicet jaculetur. g) Græcis  
μετάγυνον est telum amentatum, A. GEL-  
LIO h) teste, vbi & alia telorum & jacu-  
lorum genera recenset. Haud raro hastæ  
tormentis adigebantur ardentes. i) Hinc  
a Macedonibus victi Assaceni pila muralia,  
& excussas tormentis prægraues hastas ne-  
gabant conuenire mortalibus. k) Hinc  
belli duces ingentem vim pilorum atque  
hastarum parare debebant. l)

s. XIV.

Vt hasta inter arma pugnantium præci-  
pua erat: ea priuari, militibus summo de-  
decori esse videbatur. Hastas dare jube-  
ban-

f) Origin. I. 18. c. 7.

g) Pl. vid. LIPSIUS poliorcet. I. 4. dialog. 5. TAVE-  
MANNVS ad Virgil. Æneid. I. 9. comment. pag.  
897.

h) Noft. Attic. I. 10. c. 15.

i) TACITVS histor. I. 4. c. 23. n. 6.

k) Q. CVRTIVS I. 8. c. 10. n. 32.

l) LIVIVS I. 38. c. 4.

bantur milites, quibus propter probra ignauiz, aut luxuriæ, adimebantur: vti spes simul etiam illis merendi stipendia, suisque commodis vtendi, ademta esset.  
**FESTVS:** m) *Censio hastaria dicebatur, cum militi, multæ nomine, ob delictum militare, indicebatur, quod hastas daret.* Aliquando etiam militibus hastas, ignominiaz caussa, diffingere solebant. Ita Julianus imperator equites Tertianos, quod, in prælio aduersus Persas, legiones deseruerunt, ademtis signis, hastisque diffractis, inter impendimenta, & sarcinas, & captiuos agere coegit. n)

### § XV.

Qui ludos dabant populo atque munera, publice non solum gladiatores, athletas, aliosque artium militarium magistros, verum etiam non raro hastatos componi curabant. Sic C. Cæsar Caligula edidit per regre spectacula, in Sicilia Syracusis hastacos o) ludos, & in Gallia Lugduni miscellos.

m) *Voc. censio.* Conf. ALEXANDER AB ALEXANDRO genial. dier. l. 2. c. 13.

n) Vid. AMMIANVS MARCELLINVS lib. 25.

o) *Quamuis me non lateat, ab aliis aliter legi.*  
vid. MARCELLOVS DONATVS dilucid. p. m.  
602. seqq.

los. p) Hodie vulgo *hastiludia* vocant,  
*Renn-Spiele*. Et quod ξυστὸν Græce hastam  
significat, *Xystus*, vel *Xystum*, ab illa vo-  
ce denominari videtur, quæ porticus erat  
ampla et lata, ut in ea per hiemen athle-  
tæ sub tecto exerceerentur. *Xystici* ergo,  
siue hastati, in ludis, modo cum gladia-  
toribus, modo cum scenicis, componun-  
tur. De Cæsare Octavianio Augusto SVE-  
TONIVS q) memoriae prodidit, quod  
athletis conseruauerit priuilegia, &  
ampliauerit; gladiatores sine missione  
edi prohibuerit; coercionem in hi-  
striones ademerit; præterquam lu-  
dos & scenam. Nec tamen, pergit, eo  
minus aut *Xysticorum certationes*, aut *gladi-  
atorum pugnas* seuerissime semper exegit. Seru.  
Sulp. Galba imperator constituit, ut si quid  
scenici, aut *Xystici* donatum olim vendi-  
dissent, auferretur emtoribus. r) Ab an-  
tiquissimis Numæ temporibus Romæ Salii  
Martii gradiuo sacri sacerdotes, solemni  
saltu per urbem procedentes, dextra lan-  
ceam, lœua peltam præ se ferre solebant:  
quod pluribus alibi demonstratum iuimus,  
Libro de pueritia Latinae linguae c. 3, §. 13.

§. XVI.

p) SVETONIVS Caligula c. 20. Conf. RHODI-  
GINVS lection. antiqu.

q) Cap. 45.

r) SVETONIVS Galba c. 15.

## §. XVI.

Erant hastæ aliquando regibus, sceptri loco, imperii symbola: imo hastas ipsas Græci σπαθαὶ communis voce appellant. Ita Saulus e throno sapius Dauidem hasta percutere voluit, s) filiumque suum Jonathanem. t) Ab hasta, siue pilo, quod imperii gestare solebat insigne, Rutulorum antiquissimus rex dictus est *Pilumnus*; \* quod nomen ipsius quoque Romuli fuit, qui & *Quirinus* ab hasta, Sabinorum vernacula appellabatur. Nam Sabini hastam vocabant *quirim*: v); unde Romulus *Quirinus*: ipso OVIDIO x) auctore qui,

- - *Quod hasta, inquit quiris priscis  
est dicta Sabinis,  
Bellicus a telo venit in astra Deus.*

Hetrusci hastam vocarunt *corim*, suosque reges *Coritos*, i. e. hastatos. Interpretantur alii hastatos Joues: quod *Itis* eorum lingua Juppiter esset, vel *jouis* fiducia.

Quo-

s) 1. Samuel. c. 18. v. 10. c. 19. v. 9. 10.

t) Samuel. c. 20. v. 33.

\* Doctè idem Celeb. Author argumentum hoc excusat, Partis præcedentis harum Symbol. p. 62. C. I.

v) Alii legunt *curim*. Vid. FESTVS in *Curis & celibari hasta*.

\*) Fastor. l. 2. v. 477. Confer. SERVIVS ad Virgil: Æneid. l. I. c. 31. versi:

*Cana fides, & Vesta Remo cum fratre Quirinu;*

Quoquo se res habeat modo, hasta cum diadematè Hetruscorum Regum insignia erant. y) De communi & antiquissima consuetudine JVSTINVS z) testatur: vbi, per ea, inquit, adhuc tempora, quibus scilicet virgines eripiebantur Satinis, reges hastas pro diadematè habebant, quas Græci sceptra dixerunt. Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres hastas coluerunt: ob eius religionis memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. In primis Junohi hasta erat sacra, unde Quiritis, vel Curitis cognominata est: quod ut supra notauimus, hastam prisci quirim vel curim dixerunt. Et Martem Quirim vocatum prædicant. a) Constat enim facile inter omnes, quod, ut verba etiam FESTI b) faciam mea, hasta summa armorum & imperii est: quam ob causam viri fortis ea donantur. Inde VIRGILIVS: c)

Olim arbos, nunc artificis manus ære  
decoro  
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.  
Ne-

y) Vid. AONIVS historia Hetrusca; SICCAMA de centumuir. judicio l. 2. c. 3.

z) Lib. 43. c. 3.

a) Vid. PLUTARCHVS Romulo p. m. 12. D. & quæst. centur. Rom. operum vol. 2. p. m. 629. Confer. FESTVS v. Celibari hasta.

b) Voc. Celibari extr.

c) Æneid. l. 12. v. 210.

Neque aliter quam de imperii signo versus apud PLVTARCHVM d) intelligendi sunt:

*O dextra quam tenere hastam manus cupis,  
Cupidinem ast extorquet imbecillitas.*

Consulatur omnino elegans GOTTLIEB CORTTE dissertatio de origine & jure sceptrorum, e) qui pluribus hastam, vel rodus lignum, in regis manu luculentum imperii signum fuisse demonstrat. Etiam recentiori Francorum aetate, signum imperii fuerunt hastæ, ac regibus sceptorum loco: ut de Guntram rege GREGORIVS TVRCONENSIS f) memoriæ prodidit: *Data in manus Childeberti hasta, ait: hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* Et AIMOINVS: g) *Hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquisens: hoc, amantissime nepos, indicio noueris te mihi successorum in regno.* Etiam narrant, cum anno MLXXIX. Henricus IV. Imperator contra Rudolphum, Sueviae ducem, egregia ad Fladenheimium, Vladislao,

- d) An seni sit traxanda resp. oper. moral. p. m. 116
- e) Dissertatio hæc sub praesidio CHRISTIANI GODOFREDI HOFFMANN in illustri Viadrina prodiit 1724 postea aliquoties recusa.
- f) Lib. 7. c. 33. apud MARQ. IREHERVM corpore Francicie historie veteris & sincerae.
- g) Lib. 3. c. 68. ibid.

Iao, Bohemiarum duce suppetias ferente, potitus esset victoria, atque Bohemus in ea pugna regiam Rudolphi hastam nactus esset: a Casare hanc ipsi, ob res praeclare gestas, fuisse donatam, ac postea Bohemorum regibus insigne imperii solemnificatam; h) Ad quem vero prouocant, AENEAS SYLVIVS i) ea dere ne χρὶ quidem habet. Nec facile quicquam apud DVBRAVIUM, GOLDASTVM, STRANSKY, aliosue reperies. Vbi legimus hastam regibus sceptri fuisse loco imperii signum, necesse non est hastas breuiores intelligere, quod M. ANTON. DELRIVS k) voluit: sed illa ipsa fuerunt arma, quibus in hostem pugnare solebant. Quamuis enim postea, ut facilius possint teneri manu, haec decora fuerint immitata: prisca illa tempora ineptum plane est facere adeo delicatula. Et hastas satis longas fuisse, quibus fere in bellis vrebantur, in nummis & statuis, Deorum atque regum veterum monumenta ostendunt.

§. XVII.

Vbicunque Reges, Duces, vel Princesse essent, hastas ut plurimum secum habent. P. II. P. II. Q. be-

h) GELLIVS de vario hastae apud veteres vsu §. 6. miscellaneis Lipiensibus tom. 9. obseru. 183. p. 34.

i) Histor. Bohemica c. 22.

k) Ad Senecam Thyest. v. 229.

bere solebant: l) quas, vbi dormientes, vel otiosi, requiebant, humi plurimum, versus cernical, infixas habebant. m) Diomedem, cum sociis dormientem in armis, HOMERVS n) scribit, hastas ita habuisse collocatas, ut rectæ starent *in ταυρωτηῖς, in cuspide.* Vbi EVSTATHIVS: *ταυρωτηῖς dicitur ferramentum quoddam, in quo humi defixo collocabantur hastarum calces.* Rationem hastarum ita disponendarum hanc reddit DIO CHRYSOSTOMVS, o) de regno loquens: *Diomedem vero valde dure reclinauit super tergere bouis agrestis, figens in circuitu hastas, non ornatus gratia, sed ut paratæ ad accipiendum essent.* In tentoriis magnam solebant hastarum seruare copiam: vt, fracta qua pugnabant, in continenti possent capere alteram. Ita Meriones, Idomenei famulus, apud HOME-RVM, f) quare veniret rogatus, venio, inquit, *si qua tibi hasta in tentoriis relicta est, allaturus.* Hanc enim jam confregimus, quam prius habebam, scutum Deiphobi feriens superbi. Cui herus respondit: *hastas quidem si voluer-*

l) 2 Samuel. c. 1. v. 6. c. 2. v. 23.

m) 1 Samuel. c. 26. v. 7. 8.

n) Iliados l. 10. v. 120.

o) Orat. 2.

f) Iliad. l. 13. v. 256.

volueris, & unam & viginti inuenies, stantes  
in tentorio ad atria colluentes Trojanas, quas  
a cæsis abstuli.

§. XVIII.

At domi principes armamentaria habe-  
bant, hastis refertissima. Sic Pallas Mi-  
nerua, vel qui eam comitabatur, apud  
HOMERVM p)

"ΕΥΧΟΣ μὲν δ' ἔσησε Φέρων πρὸς κίονας πολε-  
μον  
Διερδόκης ἐντοσθεν ἐν ξόῃ, ἐνθάπτεο ἀλλαζεῖ  
Ἐγχέ Οδυσσῆος ταλασσίφρονες ἵστο πολλαῖ.

Hastam quidem statuit ferens ad co-  
lumnam longam,  
Intra armarium bene politum, ubi utique  
aliae  
Hastæ Vlysſis prudentis stabant multæ.

Et Achilles, apud eundem, q) ex arma-  
mentario patriam extraxit hastam, gra-  
uem, magnam, firmam, quam, præter  
eum, nemo Achiuorum tractare aut vi-  
brare poterat. Etiam in basilicis atque  
templis aliisque magnificis palatiis repositas  
custodiebant hastas. Sic Romæ, vt LIVI-

Q 2

VS

p) Odyſſee i. t. v. 127.

q) Iliados 1. 19. v. 387.

VS r) memoriaꝝ prodidit, ad Monetꝝ duarum hastarum spicula arserunt.

### §. XIX.

Cum hostibus gentes vellent indicere bellum, quꝝ inter arma habebatur paciua, hastam mittere solebant. FESTVS: s) *Carthaginenses cum bellum vellent, Romanam hastam miserunt.* Et A. GELLIVS t) meminit epistolꝝ a Q. Fabio imperatore ad Carthaginenses datꝝ, qua fuerit scriptum: populum Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum, signa duo belli aut pacis: ex quibus, vtrum vellent, eligerent: quod elegissent, id vnum vt esse missum existimarent. Carthaginenses respondisse, neutrum sese eligere: sed posse, qui attulissent, vtrum mallent, relinquere: quod reliquissent, id sibi pro lecto futurum. Subiungit, M. Varronem, non hastam ipsam, neque ipsum caduceum, missa dicere, sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera hastae simulacra fuerunt incisa. Sic Rhodienses quoque, apud POLYBIVM, v) legatos Byzantium cum tribus triremibus miserunt,

r) Lib. 33. c. 11.

s) Voc. *hastæ.*

t) Noct. Attic. 1. 10. c. 27.

v) Hist. l. 4. p. m. 426.

runt, volentes id, quod in proverbio est,  
hastam simul atque caduceum. x)

§. XX.

Vel hastam faciales, quorum princeps  
& dux pater patratus erat, & ferratam,  
aut sanguineam præustam, ad hostium fi-  
nes projiciebant. y) Eaque hasta facialis  
nominabatur. Inter bellicas ab Anco Mar-  
cio, rege Romanorum, institutas cere-  
monias, & hanc fuisse legimus, vt fecia-  
lis hastam emitteret ferratam, aut sanguini-  
neam præustam in fines eorum, quibus  
bellum indicturus erat. z) Atque tum de-  
mum, vt VIRGILIVS a) loquitur, certare  
odiis, tum res rapuisse licebat. Eandem-  
que hastam sanguine infectam in agrum  
hostilem projiciendi consuetudinem apud  
Persas quoque fuisse, ex AMMIANO MAR-  
CELLINO b) discimus. Ritum, qui a-  
pud Romanos obtinuit, SERVIVS diserte

Q 3

ex-

x) Confer. ERASMVS chiliad. 2. cent. 10. adag.  
96. *Hasta caduceum*, RHODIGINVS lect. antiq.  
l. 21. c. 16. p. m. 1168.

y) Vid. ALEXANDER AB ALEXANDRO. ge-  
nial. dier. l. 5. c. 3. p. 625. cum TIRAQVELLI  
annotationibus.

z) Vid. LIVIVS l. 1. c. 32.

a) Æneid. l. 10. v. 14.

b) Lib. 19. c. 2.

c) Æneid. l. 9. v. 52.

230 Joh. Nicolai Funcii

exponit ad versus VIRGILII: c)

*En, ait, & jaculum intorquens emittit in  
auras,*

*Principium pugnæ: & campo sese arduus  
infert.*

Hoc, inquit, de Romana solemnitate tractum est. Cum enim vellent bellum indicere, pater patratus, h. e. princeps facialium proficisciatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia, clara voce dicebat, se bellum indicere propter certas causas, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant. Et hæc clarigatio dicebatur e claritate vocis. Post quam clarigationem hasta in eorum fines missa, indicabatur jam pugnæ principium. Post tertium autem & tricesimum diem, quam res repetiſſent ab hostibus, faciales hastam mittebant. Posteris temporibus, cum, propter imperii magnitudinem, pater patratus ad fines hostium mitti non posset, consul, qui belli dux erat futurus, ex columna ad ædem Bellonæ, prope portam Carmentalem, hastam mittebat versus eam partem, in quam iturus erat. OVIDIUS: d)

*Prospicit a tergo summum breuis area cir-*

*cum,*

*Est ubi non paruæ parua columnæ*

*notæ.*

Hinc

¶ Eafior. l. 6. v. 203.

Hinc solet *hasta* manu belli prænuntia  
mitti  
In regem, & gentes, cum placet arma  
capi.

Ad cuius illustrationem præstat audire  
SERVIVM: Cum Pyrrhi temporibus aduer-  
sum transmarinum hostem bellum Romani ge-  
sturi essent, nec inuenirent locum, ubi hanc so-  
lennitatem per feciales indicendi belli celebra-  
rent, dederunt operam ut unus de Pyrrhi mi-  
litibus caperetur, quem fecerunt in circo Flu-  
minio locum emere, ut quasi in hostili loco jus  
belli indicandi implerent. Denique in eo loco  
ante pedum Belloneæ consecrata est columnæ. e)

§. XXI.

Et hasta projecta veteres rem aliquan*t*  
occupare & fibi vindicare solebant. Ita  
Alexander magnus in Asiam trajieiens,  
primus Macedonum e naui hastam jacula-  
tus, littori Asiae eam infixit, ac statim e  
naui exiluit, visus quodammodo, ex DI-  
ODORI SICVLi f) sententia, ope deo-  
rum captiuam terram occupare.

§. XXII.

Si qua ciuitas vi subacta, hostili incursu  
diripienda foret, a duce exercitus, in edi-

Q. 4. to

e) Pl. confer. PITISCVS lex. ant. Rom. voc. *hasta*  
*facialis*.

f) Biblioth. histor. l. 17. c. 2. princ.

to loco, hasta ponebatur: ut significaretur, illam non deditio, aut pacto, sed vi captam diripi licere, & in bona ciuium ipsasque personas graffari. Eaque hasta cruenta vocabatur. g) Sed rubri fuisse coloris, SICCAMA; h) sine auctore, ex Ciceronis loco male intellecto, docet. i) Quicquid hasta, armis, bello, ex hosti- bus capiebatur, jure gentium certe victorum erat: ac liberi homines, bello capti, in servitutem redigebantur. Gentium quoque omnium si origines in memoriam reuocare velimus: dicendum, plerasque possessiones suas iure belli obtinuisse. Äthiopum regnum inuaserunt Assyrii, As- syriorum Babylonii, Babyloniorum Persæ, Persarum Macedonés, Macedonum Ro- mani. Eō gentium iure cum regna & do- minia niterentur: rata & firma eorum, quæ bello quæsita erant, defendebatur auctoritas, & justa habebantur.

## §. XXIII.

Mitior paulo videtur eorum fuisse con- ditio, quos subjugabant, siue sub jugum mit-

g) CICERO de officiis l. 2. c. 8. ALEXANDER AB ALEXANDRO genial. dier. l. 3. c. 16. cum TI- RAQVELLI annotat. p. 376.

h) De centumuirali judicio l. 2. c. 3.

i) Conf. GRÆVIVS præfat. tom. 3. thefauri an- tiq. Roman. & PITISCVS lex antiq. Rom. tom. 1. p. 893.

mittebant, ut victoris potestatem, suam vero subjectionem deuotionemque agnoscerent. Et hic rursum insignis erat hastarum usus. Nam tribus hastis jugum fieri solebat: fixis humi duabus, unaq[ue] super eas transuersa deligata. Sub ejusmodi jugo victos duces militesque abire jubebant, ut gentem subactam domitamque esse testarentur. Ita L. Quintius Cincinnatus dictator, qui Aequos, gentem ferocissimam, vicit; se professus est sanguinis Aequorum non egere: licere abire, sed ut exprimatur tandem confessio, sub jugum abituros. k) Num prius fuerit hastatam ignominiosæ auctor, non facile dixerim. l) Aliquando, cum Romanis ad Caedium mintis faueret fortuna, consules primi prope seminudi sub jugum missi: tum ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiaz objectus: tum deinceps singulæ legiones: circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque: gladii etiam plerique intentati: & vulnerati quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset. m) Paulo

Q.5 post

k) LIVVS 1. 3. c. 28. ext.

l) Vid. clariss. JOH. GIDEONIS GELLII dissertatio de vario hastæ apud veteres usu, miscellaneis Lipsiensibus tom. 9. obseru. 183. pag. 324.

m) LIVVS 1. 9. c. 5. init;

post septem millia militum Samnitium sub jugum missa fuerunt. n)

### §. XXIV.

Captiui sub hasta veneunt, quos Græci δορυκλάτες καὶ δορυκτῆτες vocant. o) Et quoties bona proscriptorum, præda, vel hostium manubiæ venales erant, hasta publica ponebatur. Hinc CICERO: p)  
*Dum homines perditi hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem XXXVI. anno post a sceleriore hasta non recessit.*  
 Quam dicitur Sulla vibrasse, Cicero cruentam vocat, quia publice hasta illa Romæ in foro posita ciuium in bello & proscriptione jugulatorum bona, sanguine effuso parata, non sine scelere vendebantur.

### §. XXV.

Vt hodie non raro victores fortesque viri a magistratibus suis ense, vel gladio, donantur: ab antiquissimis temporibus hasta fuit signum honoris, atque fortitudinis præmium. FESTVS: q) Romani fortes

n) Idem l. 9. c. 15.

o) FFSTVS v. Celibari hasta, extr.

p) De officiis l. 2. c. 8.

q) Voc. hastæ, & celibari hasta, extr.

tes viros s<sup>e</sup>pe hasta donarunt. SERVIVS r)  
Hoc sc. hasta pura, quam sine ferro inter-  
pretatur, fuit pr<sup>ae</sup>mum apud maiores ejus,  
qui hunc primum vici<sup>s</sup>et in proelio, sicut ait  
Varro in libris de gente populi Romani. SVE-  
TONIVS : s) Quem Britannico triumpho in-  
ter militares viros hasta pura donauit. PLV-  
TARCHVS : t) lancea donari consueuisse  
illos, qui in bellis acriter ac strenue pu-  
gnantes, fortitudinis laudem meruissent:  
proinde effectum esse, vt Romulus, velu-  
ti Martius quidam Deus ac pugnax, Qui-  
rinus diceretur. FESTVS v) hastas donati-  
cas vocat. Vnde POLYBIVS quoque: x)  
Imperator ei, qui hostem vulnerauerit, hastam  
donat. Græce γαίστον appellauit, quod ja-  
culi genus nouimus vt plurimum pro hasta  
sumi. Et SILIVS ITALICVS: y)

Hec tunc hasta decus nobis, pretiumque  
secundi

Vulneris.

Eoque nomine C. Sicinnii Dentati com-  
mendatur virtus; quod, PLINIO z) teste,  
cum

r) Aeneid. 1. 6. v. 76<sup>o</sup>:

Ille, vides, pura juuenis qui nititur hastas;

s) Claud. c. 28.

t) Romulo p. m. 12. D.

v) Voc. optionatus.

x) Lib. 6. c. 37.

y) Lib. 6. v. 291.

z) Hist. natur. 1. 7. c. 28<sup>o</sup>.

cum aliis muneribus, tum hastis duodecim  
viginti donatus erat.

§. XXVI.

Et hasta signum jurisdictionis erat. Sic judicia centumuiralia, quoties conueniebant judices, hasta posita indicabantur: immo centumuirorum judicia in duas hastas diuisa erant. a) Hinc VALERIVS MAXIMVS b) hastæ judicium vocat, SVETONIUS c) vero centumuiralem hastam. MARTIALIS, d)

*Hunc inquit, miratur adhuc centum grauis hasta virorum.*

Et STATIVS: e)

*Cessat centeni moderatrix judicis hasta.*

De centumuirali hasta & judicio, quantum quidem satis, putamus, in ea disseratione scriptum fuisse, qua demonstrauimus nuper, lege Æbutia legum XII. tabulis non derogari. Hasta vero centumuiris præfixa fuit: ut summum & popula-  
re judicium esse indicaret: cum ex uniuerso populo Romano ad hoc judicium sortiti: & supremamillis judicandi potesta-  
tem

- a) QVINTILIANVS orat. instit. I. 5. c. 2.
- b) Lib. 7. c. 8.
- c) Aug. c. 36.
- d) Lib. 7. epigr. 62.
- e) Silu. 4. 4. 43.

tem esse commissam, a quibus prouocari non liceret. Ad istos intricati juris, ac difficultimæ, non facti, sed juris, & de æquitate controværsiæ deferebantur. f)

§. XXVII.

Hastæ subjiciebantur ea, quæ publice venum dabantur: quia signum publicæ fideli principium erat *hasta*, g) & publica vocabatur, vel etiam *præconis*. Ita CICERO: h) *Insignibus atque insulis imperii venditis, quibus ornatam vobis majores vestri remp. tradiderunt, jubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit. Num obscure videntur prope hasta præconis insectari Cn. Pompeji exercitum &c.* Hasta prætoria, seu publicæ venditionis, ponebatur, cum ex prætoris edicto bona alicujus essent vendenda: reo scilicet contumaciter emanente, aut parente quidem, sed causa cadente: ut parti aduersæ illius bona addicerentur: ipsaque venditio missionem in bona decretalem post diem XXX. sequeretur. Cur hastam posuerint Romani, res auctionis lege publice distrahentes, alii aliud sen-

ti-

f) Vid. SICCAMA de centumuinal. jud. 1. 2. c. 3.  
POLLETVS for. Rom. 1. 3. c. 14.

g) FESTVS v. *hasta*.

h) Orat. de lege agraria contra Rullum c. 2.

tiunt. Ut belli jure sibi vindicant aliena, sibi persuadent, hasta significari, quæ vendita, optimo jure emi, ac possideri perinde ac si fuerint emta res bello quæsitæ. Alii putant, hasta signo Romanos indicare voluisse, euictionem earum rerum belli & armorum periculo se præstituros. Sufficit, hastam potestatis, justitiæ, ac publicæ fidei symbolum esse: quo sane tyranni sæpius abuti videbantur; res vi ac nefario conatu rapere alienas; & jus hasta haud raro aduersus inopes inclementer augere.

i) Sed fuerunt etiam non raro homines nequam, qui, nullius rei habita ratione, suis solummodo voluerunt indulgere voluptatibus, etiam si caput ipsum venale sub hasta præbere debuerint. Vnde PLAVTVS; k)

*Vbi sunt isti plagipatiæ, ferritribaces  
viri?*

*Vel isti, qui trium nummorum caussa sub-  
eunt sub hasta?*

Et JUVENALIS: 1)

*- - maneant, qui nigrum in candida  
vertunt;*

*Quis facile est ædem conducere, stumi-  
na, portus,*

*Sic.*

i) Ut TACITVS loquitur annal. L. 13. c. 28.

k) Mostell. A. 2. S. 1. v. 9.

l) Satyr. 3. v. 30.

Siccandam eluuiem, portandum ad busta  
cadauer,  
Et præbere caput domina venale sub hasta.

§. XXVIII.

Proscriptorum, vel armis subactorum, bona sub hasta publice vendebantur: ut CICERO m) conqueritur, hastam in foro positam, & bona ciuium voci subiecta fuisse præconis. Alibi n) de Sulla scribit, ausum dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet & bonorum virorum, & locupletium, certe ciuium, prædam suam se vendere. Secutus est, de Cæsare scribit, qui in caussa impia, victoria etiam fœdiore, non singulorum ciuium bona publicaret, sed uniuersas provincias regionesque uno calamitatis jure comprehenderet. Nec vero unquam bellorum ciuilium semen & caussa deerit, dum homines perditæ hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset, dictatore propinquo suo, idem sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta non

m) de officiis l.2. c.23.

n) L.c. cap. 8. Confer. ejusdem Philipp. orat. 8. c. 3.  
vbi, hasta, inquit, Cæsaris, patres conscripti,  
multis impræbis & spem assert, & audaciam.  
Viderunt enim, ex mendicis fieri repente duitæ.  
Itaque hastam semper videre cupiuntii, qui no-  
stris bonis imminent: quibus omnia pollicetur Ar-  
tonius.

recessit. His omnino similes intelligendi sunt apud SENECA<sup>m</sup>, o) quos hasta prætoris infami lucro, & quandoque suppuraturo, exercet. Nam & inuidiam, & odium, ejusmodi venditiones habent: famamque lœdunt alienam. Ut TACITVS p) de Corbulone prætorio negotii testatur execu-  
tionem suscepisse, quod haud perinde publice usui habitum, quam exitiosum multis, quo-  
rum in pecuniam atque famam damnationibus & hasta seuebat. Alibi: q) Exactioni XXX equites Romani præpositi, nouum officii genus,  
& ambitu ac numero onerosum: ubique hasta,  
& sector, & inquieta vrbs auctionibus. Sic  
sepe videbis capita principum sub ciuilis  
hasta venalia. r) Vel, ut poeta s) loquitur,

Præbere caput domina venale sub  
hasta.

Subhastationis originem Romani a Porsen-  
na temporibus deriuare conati sunt: qui  
descendens ab Janiculo, castra opulenta,  
conuecto ex propinquis ac fertilibus E-  
truriæ aruis commeatu, Romanis dono de-  
derit; inopi tum vrbe ab longinqua obsi-  
dio-

- o) De breuitate vitæ c. 11. extr.
- p) Annal. l. 3. c. 31. extr.
- q) Histor. l. 1. c. 20. n. 4.
- r) SENECA de ira l. 1. c. 2.
- s) IVVENALIS satyr. 3. v. 33.

dione. Ea deinde, ne populo immisso diriperentur hostiliter, venisse, bonaque Porsennæ appellata. Hinc inter cetera bonis vendendis solemnia morem mansisse bona Porsennæ regis vendendi. t) Si, quæ ad fiscum pertinebant, publice vendebantur, *hasta* erat ponenda *fiscalis*: neque illorum sine hasta venditio rata habebatur: nam auctoritate principis, & ejus, qui principis nomine ei præesse debebat, facta non esse videbatur. v) *Prætoriæ* vero *hastæ* subjiciebatur quicquid, lite superata, creditoribus a magistratu adjudicatum: qui cum desideraretur ut *hasta* præcesset: decemuiri litibus judicandis sunt constituti. w)

§. XXIX.

Sicubi res alia sub hasta veniebant, quarum justa possessio dominum ostendebat pro iubitu vendere, aliisque dato pretio, permittere, quibus ipse abundaret: emtores accedebant lati, & sine injuria vel ignominia cujusquam suo vtebantur jure. Vbi vero bona proscriptorum vende-

T. II. P. II.

R ban-

t) LIVIVS l. 2. c. 14. confer. PLVTARCHVS in Poplicola.

v) Lib. 1. & 2. C. de jur. fisci SICCAMA de centum- uir. jud. l. 2. c. 3.

w) §. 29. l. 2. D. de origine juris.

bantur: ad hastam raro, vel nunquam accedebant, quibus ille displicebat funestus proscribendi modus. Atque ita CORNELIVS NEPOS x) intelligendus est, qui de T. Pomponio prædicat, ad hastam publicam nunquam accessisse. Et CICERO y) memoriae prodidit: *hasta posita pro æde Fouis Statoris, bona Cn. Pompeii Magni voci acerbissimæ subiecta præconis.* Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diuīs hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inuentus est nemo, præter Antonium. Antequam vero hasta posita, res pluris licitanti addicrentur, diu voci præconis subiecta fuisse videtur. Ita THEOPHRASTVS : z) μὲν δὲ διὰ κήρυκος κελεύστι πωλεῖν καὶ προκηρύττειν ἐκ πλειστῶν ημερῶν. Sunt qui per preconem res vendi jubeant, & plures ante dies prænunciari.

### §. XXX.

Hasta salutis erat, ubi in summa rerum inopia, vel annonæ caritate, ad famem subleuandam, hasta posita, publice frumentum venum dabatur. QVINTILIANVS : a) sed si semel ponis hastam salutis, &

re-

x) Attic. c. 6. n. 3.

y) Philipp. orat. 2. c. 26.

z) Apud STOBÆVM serm. 42. p. m. 278.

a) Declamat. 12.

redemtores vite admittis, melius vendes. E-  
aque hasta etiam frumentaria vocatur.

§. XXXI.

Sic quoque sub hasta locabantur vectigalia & tributa de quibus LIVIVS : b)  
*Ve*c*tigalia summis pretiis, viro tributa infimis locauerunt. Quas locationes cum senatus precibus & lacrumis publicanorum vicitus induci, & de integro locari jussisset: censores editio summotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum immunitis pretiis locauerunt.* Pari modo locabant reip. reditus alios quoscunque, & agrorum prouentus. Ita COLVIMELLA : c) in hoc Latio & Saturnia terra, vbi dii cultus agrorum progeniem suam docuerant, ibi nunc ad hastam locamus, vt nobis ex transmarinis prouinciis aduehatur frumentum. OVI-DIVS : d)

*Aut populi reditus positam componet ad hastam,*

*Et minui magne non sinet urbis opes.  
Et elegia mox sequenti alia: e)*

*Nunc longi reditus hastae supponere lustri  
Credet, & exacta cuncta locare fide.*

R 2

Hie

b) Lib. 39. c. 44.

d) Ex Ponto l. 4. eleg. §.

e) Eiusdem libri eleg. 9.

Hic frequens publicanorum ordo : f) quos Cæsar, remissionem petentes, tercia mercedum parte releuavit: ac ne in locatione nouorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit. g) Alioqui censoriam, seu locationis hastam censores S. P. Q. R. nomine & auctoritate vectigalia & tributa locaturi in foro figebant.

### §. XXXII.

Ex communi vocis significatione, cum magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum, & omnes dicantur, qui ceteris praefecti & pluris faciendo: h) magistri etiam dicuntur, qui bona eujuscunque generis sub hasta vendunt. CICERO: i) Vna agebant ceteri creditores: in quibus erat Lucullus & P. Scipio: & is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. Pontius. Rursum: k) Alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis pos-

f) De quibus vid. obseruationes nostræ ad Ciceron. l. 1. epist. 9. n. 77. seqq.

g) SVETONIVS Cæsar. c. 20.

h) Vid. FESTVS v. magisterare, i. e. regere, temperare, moderari.

i) Ad Atticum l. 1. epist. 1.

k) Ad Attic. l. 6. epist. 1.

*poscidendis, magistris faciundis vendendisque,  
ex edicto & postulari, & fieri solent. Atque  
ex eo solum intelligendus Ciceronis jocus,  
qui usque ad ænigma peruenit. Dixit e-  
nim in Pletorium, Fonteji accusatorem,  
eius matrem, dum vixisset, ludum; post-  
quam mortua esset, magistros habuisse.  
Dicebantur enim, dum vixit, infames fe-  
minaæ ad eam conuenire solitæ: post mor-  
tem ejus bona veniebant. 1) Hic ergo  
per translationem ludus, per ambiguita-  
tem magistri dicti sunt. Ita quoque RHO-  
DIGINVS m) explicandum putat illud CI-  
CERONIS, n) heus tu, manum de tabula:  
*magister adest citius, quam putaramus.* Sed  
proverbium a pueris desuntum, alibi  
diximus, o) qui, magistro absente, ta-  
bulas egregie pictas contrectare soleant:  
& dictatorem innuere Cæsarem; quod ma-  
gister esset populi.*

§. XXXIII.

De jure hastarum sufficit hæc subito mo-  
nuisse: quod ad usum illarum in venditi-  
one rerum publica singularem attinet, con-  
fulantur JVNIUS RABIRIVS de hastarum

R 3 &

l) Vid. QVINTILIANVS instit. orator. l. 6. c. 3

m) Lection, antiqu. l. 21. c. 17. p. m. 1170.

n) Ad diuersos l. 7. epist. 25.


o) Obseruat. ad h. l. p. 475.

& auctionum origine ac ratione; p) quem pluribus in locis castigat JOH. GEORGIVS GRÆVIVS prolegomenis, quæ ad thesauri antiquitatum Romanarum, tertio volumine scripsit; JOH. OTTO TABOR disp. de fide & jure hasta fiscalis; q) JOH. GOTTFR. BAVER dissert. de confignatione & taxa rerum sub hasta venalium, r) alii, qui sparsim quædam de hasta memoria prodiderunt.

p) Apud GRÆVIVM thesauro antiq. Roman. vol. 3. p. 19. seqq. edit. Venet.

q) Operibus, quæ Lipsiæ prodierunt, 1688. fol. vol. I. num. I.

r) Quæ Lipsiæ prodiit, 1726



## II.

HENR. HEISEN  
DISSERTATIO PRIOR  
DE  
IMPERATORIA MAJESTATE  
A PRIMIS  
HISTORIÆ AVGVSTÆ CON-  
DITORIBVS INDIGNISSIME  
HABITA.

### CONSPECTVS :

§. 1. Potissima causa scriptoris hujus aliorum est silentium, §. 2. Ordo tradendorum cum

cum hac , tum sequenti disputatione. §. 3. No-  
luerunt primi imperatorum historici vera refer-  
re; id quod probatur testimonio Josephi. §. 4.  
Cujus adstruitur veritas. §. 5. Et ab objectione  
vindicatur. §. 6. Deinde gemino Taciti loco.  
§. 7. Suetonius etiam malæ fidei ex merito insi-  
mulatur. §. 8. Ex libellis famosis potissimum  
historias suas primi augustorum scriptores con-  
sarcinarent. §. 9. Quod demonstratur. §. 10.  
Ne potuerunt quidem vera certaque iidem referre  
de publicis imperatorum primorum & specia-  
tum Augusti rebus. §. 11. Pariter nec de Ti-  
berii & proximorum successorum. §. 12. Idem  
statuendum de privata cæsarum illorum vita est.  
§. 13. Eximitur scrupulus , quem acta Roma-  
norum publica & privata injiciunt.

§. I. **C**um nemo , nisi qui e-  
motæ sit mentis , aut  
ab omni derelictus judicio ,  
in dubium vocaverit , sum-  
ma quemque conspicuum dignitate indi-  
gnissime haberi , in cuius opprobrium fal-  
fa atque incerta memoriaz prodantur , im-  
peratoriam vero maiestatem constet emi-  
nentissimum inter mortales honoris fasti-  
gium tenere ; fateri necessum habemus ,  
nec illi proterius insultare , foedioremque  
inurere maculam primos historiaz augustæ  
conditores potuisse , quam ea imperato-  
rum suorum criminia in literazmittendo ,

R 4

qua

quæ non modo magnitudine sua fidem excedunt, sed & testibus vel nullis omnino, vel parum idoneis atque suspectis nituntur. Qui obtrectator, criminisque maiestatis reus stilus tanto magis in lucem protrahi dignus est, quanto minus innotuisse hactenus orbi eruditio videtur. Conjecerim ex iis, quæ in lexico suo historico-critico Petrus Bælius, quam acris judicii, tam vastæ lectionis vir, ad vocem Suetonius affert. Multus ille in tuendo hoc est autore contra Muretum, Tillemontium, aliosque, cum contendentes Cæsarum flagitia orationis turpitudine exasperasse, quæque hi sempiternis tenebris operienda patrarint, nudis ac prætexatis verbis in lucem aspectumque legentium protulisse, ut non tam dissuadere vitia, quam docere atque commendare videatur. An enim credibile est, Bælium, si compertum habuisset, immo si vel ei suboluisset, ne vera quidem magnam partem esse, quæ criminis cæsaribus suis dat Tranquillus, ejus in se patrocinium suscepturum fuisse? Veritas prima historiæ omnis lex est, nec tam infrunitus, aut perficitæ frontis, famaque suæ prodigus fuit Bælius, ut scriptoris, quem hanc nosset insuper habuisse, agere hyperaspisten in animum induceret. Ex adverso potissimum, quo militat, argumentum Suetonii perpetuum ac prorsus eximium veritatis est studi-

dium : quod ut extra omnem ponat controversiam , primum (1) auxilio advocat Politianum , qui : *Nobis* , ajat , Suetonius fidem suam plane probavit ; deinde Lipsium atque Robortellum, quorum hic testetur : *Fidem si species Suetonii, nihil certius; & denique ex veteribus Vopiscum, qui in Fir-*  
*mo Suetonium nuncupet candidissimum scri-*  
*ptorem, inque Probo iis accenseat, qui non*  
*tam diserte quam vere (res gestas) memorie*  
*tradiderint.* Qui cum observationibus suis bælianum lexicon germanice nuper admotum edidit , clar. Gottschedius nihil ad hæc observavit. Aperte vero in Bælii sententiam , de fide Suetonii æque securus , concedit celeb. Hamburgensium polyhistor , Jo. Alb, Fabricius , qui : (2) *Libertatem* , inquit , *Suetonii à Tillemontio in hist.*  
*imperatorum & alis quibusdam reprehensam*  
*recte tuetur Bælius in lexico edit.* secundæ. Num autem censores Suetonii , eidem Fabricio excitati , (3) Jo. Antonius Campanus & Laisneus quicquam , quod ad labefactandam ejus faciat fidem , expromserint , nequeo equidem , destitutus illorum scriptis , divinare . Fabricium excipiat doctiss. Gottl. Stollius , (4) amplissimum sane fidei  
R s &

(1) Tom. IV. p. 308. col. b. edit. Germ. Lips.

(2) Biblioth. Lat. T. I. cap. XXIV. p. 495. (c)

edit. quintæ, (3) ib. T. II. p. 785. (4) Hist.

Erud. P. I. cap. VI. §. 18. no. 1.

& candoris Suetonio perhibens testimonium, quod notis etiam historiæ Gundlingii literariæ subjectis (5) insertum legitur. *Quod in describendis, ait, imperatorum vitiis affectibus indulserit suis.* Suetonius neutiquam, omnium potius & malos & probatos pro rei veritate mores enumeraverit, res est, que non laudari non potest. Quid quod nec diffusus ille Gundlingii annotator, nec Gundlingius ipse in tam vasto opere Suetonii fidem ullo verbo suspectam reddant atque vellent. Mitto in Polyhistore (6) Morhofium, compluresque alios, apud quos tam altum de mala Suetonii fide silentium est, ut, cuius *nāon θέας* principem historicum, Herodotum Plutarchus insimulat, ab ea illum pronunciare immunem censendi sint. Enimvero qui, ubi loquendum est, tacent, consentire videntur: idquod dum jam in proverbium abiit.

§. II. Nescio igitur, an opera pretium facturus sim, si, quod nemini hactenus, aut sane (si qui sint, qui nos fugiant) oppido paucis in mentem venit, id verum certumque esse, argumentis haud temere aspernandis demonstratum ivero. Ad quatuor universam contentionem revocabo

(5) pag. 1258. (m. 30) (6) Tom. I. p. 903. num.  
13. edit. secundæ,

bo capita. Quorum primum docebit, &, aut admodum fallor, persuadebit, NOLVISSE Suetonium, quiq; eum præcesserunt, historiæ augustæ multos conditores vera omnia referre. Deinde, eosdem NEPOTVISSE QVIDEM veritati semper in iis, quæ referunt, litare, planum faciam. Tum, hos committendo scriptores, & illos ipsos, quorum vitam resque gestas persequuntur, imperatores, si minus omnes, at certe potiores, in scenam producendo, ostendam, quam indigna multa, falsa, incerta, adversisque frontibus secum pugnantia tradiderint. Et tandem cum Balio & ὥμοψήφοις manus conserens liquido evincam, dedecuisse dedecora Cæsarum, eaque magnani partem clam admissa, in aprico collocari, & ad posteritatis omnis propagari memoriam. Hac tamen vice solas duas priores fert animus exhibere partes, sequuturis proxime reliquis, itidem duabus. Quod consilium cepi, partim ne una mea in nimiam excrescens molem diatribe uni Symbolarum tomo, aliis majori forsitan ingenio & doctrinæ copia elucubratis dissertationibus spatium præripiendo, foret gravis; partim ut plurimis nunc districto mihi negotiis justum elaborandi tempus suppeditaret.

§. III. NOLVISSE augustanos scriptores verum ubique sequi, disertissimis his

his Josephus (7) testatur vocibus: πολλοὶ  
 τὴν περὶ Νέρωνα συντεάχασιν ἰσορίαν· ὥν οἱ μὲν  
 διὰ χαρὸν εὗ πεπονθότες ὑπ’ αὐτῷ τῆς ἀληθείας  
 ἡμέλησαν· οἱ δὲ διὰ μῆσος καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν  
 εἰπέχθειαν ὅτας αναλόως ἐνεπαρώνησαν τοῖς φέντε-  
 μασιν, ὡς εἴχεις αὐτῷς ἔναις καταγνώσεως. Καὶ  
 θαυμάζειν ὅτι ἐπεισί μοι τὸς περὶ Νέρωνος φεύ-  
 σαμένος, ὅπῃ μηδὲ τῶν πρὸ αὐτῷ γενομένων γρά-  
 Φούτες τὴν ἀληθειαν τῆς ἰσορίας τετηρήσασιν, καὶ  
 τοι πέρις ἐκείνος αὐτοῖς ὀδεῖ μῆσος ἦν, ἀτε μετ’  
 αὐτῷς πολλῷ χρόνῳ γενομένους. Ἀλλὰ γὰρ τοῖς  
 μὲν ὃ προνογμένοις τῆς ἀληθείας ἔξειν γεφεν,  
 ὡς θέλεσθε τάτῳ γαρέ χαιρεῖν ἔσικασιν. Ἡμεῖς  
 δὲ, σκοπὸν τὴν ἀληθειαν προθέμενοι, κ. τ. ἐ.  
 „Multi Neronis historiam conscripserunt;  
 „quorum aliqui in gratiam ejus, ut bene  
 „de se meriti, veritatem neglexerunt; alii  
 „vero ex odio & inimicitia sibi cum eo  
 „suscepta inverecunde adeo in eum de-  
 „bacchati sunt mendaciis, ut digni sint,  
 „qui uno hoc criminе condemnentur. Et  
 „si mihi non subit mirari, de Nerone eos  
 „mentitos, quando ne res quidem ab an-  
 „tecessoribus ejus gestas memoriz man-  
 „dantes historiæ veritatem retinuerunt, li-  
 „cet nullum in eos odium habuerint, cum  
 „longo post eos tempore vixerint. Ve-  
 „rum istis, qui nullam veritatis rationem  
 „ha-

(7) Antt. Jud. lib. XX. cap. VIII. §. 3. p. 971. ed.  
 Havere.

habent, per nos liceat pro lubitu scribe-,  
re: nam hujusmodi licentia delectari vi-,,  
dentur. At nobis, quibus propositum est,,  
veritati unice litare, &c. „ Qui illustris  
locus evidentissime probat, non modo  
Neronis, sed & imperatorum, ejus ante-  
cessorum, res gestas mendacissimo scri-  
ptorem non unum consignasse calamo,  
plurimisque commentis foedissimum in  
modum deturpasse.

§. IV. Quæritur tantum, an tuto affir-  
manti id Josepho adhibere fidem liceat?  
Sed quo jure illi fidem derogaveris, qui  
veritatis ubique eximum præ se fert studi-  
um? Ipfis illis, quas dedimus verbis in fi-  
ne, *nihil sibi veritate antiquius esse*, asseve-  
rat: & in ἀπέστως antecedentibus (8) Nero-  
nis parricidium matris aliasque nefarias cæ-  
des commemorat, ut nulla in eum cadat  
suspicio, quod hæc, quæ sequuntur, in  
tyranni gratiam fingere voluerit. Princi-  
pio libri decimi quarti (9) de consilio suo  
pergendi in describendis Judæorum anti-  
quitatibus verba faciens, *nihil prius se habe-  
re, quam ne quid vel per ignorantiam, vel  
memoriae vitium committat, affirmat, omni-  
umque maxime scriptoribus curæ esse debere ar-  
bitratur accuratam diligentiam, & verum il-  
lis*

(8) ibid. §. 2. (9) ibid. p. 622. cap. I. §. 1.

*lis aperiendi studium, qui in iis, quæ ipsi plane nesciant, fidem illis adhibituri sint.* Fine autem totius de bello judaico operis ita fatur: *Hic nobis est finis historiæ, quam cum omni industria nos tradituros polliciti sumus.* Et tandem: *De veritate confidenter dicere non pigebit, quod hanc solam in omnibus, quæ scripsi, mihi proposuerim.* Insigne huic veritatis Josephi studio conciliatur robur per locupletissimos, ad quos audacter provocat, testes, Vespasianum, Titum, Agrippam, & præcipuos quosque gentis cum suæ, tum Romanorum, viros. In vita sua (10) adversus Justum quendam insurgens hunc ad modum scribit: „At non „ego de meis libris perinde ac tu sum ve- „ritus; sed ipsis imperatoribus (Vespasiano „& Tito) eos obtuli, cum res gestæ pe- „ne adhuc ante omnium oculos versaren- „tur. Ac proinde, cum testimonium il- „lorum speravisse, nec mea me fefellit „expectatio. Quid quod cum multis aliis „historiam meam communicavi, quorum „quidam bello ipsi interfuerant, quos in- „ter eminent rex Agrippa, & nonnulli ex „eius propinquis. Nam Titus quidem im- „perator ex iis solis rerum gestarum noti- „tiam hominibus tradi tantopere voluit, „ut manu sua subsignatos publicari præci- „pe-

(10) Tom. II. p. 33. med.

ciperet; rex vero Agrippa duas & sexa-,  
ginta scripsit epistolas, quibus veritatem,,  
a me traditam esse testatur. Quarum sa-,  
ne duas etiam subjeci; &c. &c., Qui-  
bus gemina habet contra Apionem: (11)  
„Ego, ait, & de omni bello, & de iis,,  
quaꝝ particulatim gesta erant, veritati con-,  
gruenter scripsi, cum ipse rebus omnibus,,  
interfuerim. - Posteaquam me Ve-,  
spasianus & Titus in custodia habuerunt,,  
sibi semper assidere coegerunt, -- deni-,  
que missus sum ad Hierosolymorum ob-,  
fitionem. Quo tempore, cum fierent,,  
quaꝝ gesta sunt, nihil meam effugit noti-,  
tiam. Nam & singula in romano exer-,  
citu prospiciens, diligenter ea notabam;,,  
quaꝝ que a trans fugis nuntiabantur, ego so-,  
lus intelligebam: deinde Romæ otium,,  
nactus, opere jam omni præparato -- res,,  
prout gesta erant, litteris mandabam.  
Adeoque veritati confidebam, ut omni-,  
um primos Vespasiantum & Titum, in eo,,  
bello imperatores, mihi testes faciendo,,  
ducerem. Primis namque illis obtuli li-,  
bros, & post illos multis Romanorum,,  
qui bello interfuerant: plurimis etiam,,  
nostratum eos vendidi, viris græcæ eru-,  
ditionis non ignaris; in quibus erat Juli-,  
us Archelaus, Herodes morum gravitate,,  
spe-,

(11) Lib. I. §§. 9, 10. Opp. T. II. pp. 442, 443

„spectatissimus, itemque rex Agrippa, ad-  
 „miratione dignissimus. Qui sane uni-  
 „versi testimonium perhibuerunt, quod  
 „veritatem accuratam præ me ferrem, non  
 „dis simulaturi aut tacituri, si quid facto-  
 „rum invertissem, vel prætermissem.,,  
 Cum ergo antiquitatum judaicarum li-  
 bris ipsum illud, cuius *ἀξιωπικῶν* vindicamus,  
 testimonium contineatur, & Vespasianus  
 ac Titus, totque alii honoratoris ordi-  
 nis Romani, qui & eos lectitasse videntur,  
 defunctorum imperatorum suorum mores  
 atque facta non potuerint non explorata  
 habere, an probabile ullo est pacto, non  
 monituros illos amicissimum sibi Josephum  
 fuisse, si quid in illo falsi offendissent? A-  
 que a vero abludit, monitum hunc de-  
 trectasse morem gerere, nec errores su-  
 os, tantorum virorum autoritate permo-  
 tum, emendasse.

§. V. Sed, Vespasianum & Titum  
 quod attinet, fors objecteris, illos Nero-  
 nem maximo sibi beneficio devinctos te-  
 nuisse: constare enim, priorem validissi-  
 mi exercitus constitutum ab eo imperato-  
 rem; sicque viam utrique emunitam ad ca-  
 saream fuisse majestatem; ut credere par-  
 sit, in Vespasiani & Titi gratiam vel cum  
 mendacio se Josephum Neronis opposuisse  
 vituperatoribus, nec expungendam hos  
 im-

imperatores effoetam veri defensionem  
duxisse, qua optime de se meriti princi-  
pis famæ apud posteros utcunque consuli  
viderint. At vero, ita si sentis, rudit pe-  
nitus & hospes in illorum temporum es  
historia. Neque enim voluntate Nero ad-  
ductus, sed adactus necesseitate invisum  
sibi Vespasianum bello judaico præfecit.  
Suetonius: (12) „Peregrinatione achaica,  
Vespasianus inter comites Neronis, cum,,  
cantante eo aut discederet sæpius, aut,,  
præsens obdormiceret, gravissimam con-,,  
traxit offensam, prohibitusque non con-,,  
tubernio modo, sed etiam publica salu-,,  
tatione, secessit in parvam ac deviam ci-,,  
vitatem, quoad latenti, etiamque extre-,,  
ma metuenti provincia cum exercitu ob-,,  
lata est. -- Rebellarerunt Judæi, cæ-,,  
soque præposito, legatum insuper Syriæ,,  
consularem, suppetias ferentem, raptæ,,  
aquila fugaverunt. Ad hunc motum com-,,  
primendum cum exercitu ampliore &,,  
non instrenuo duce, cui tamen tuto tan-,,  
ta res committeretur, opus esset, Vespa-,,  
sianus potissimum delectus est, ut & in-,,  
dustriæ expertus, nec metuendus ullo,,  
modo ob humilitatem generis & nominis.,,  
Tantum vero abest, ut veteris injuriæ me-  
T. II. P. II. S mo-

(12) Vespasian; cap. IV. coll. cap. XIV; & Tacit,  
Annal. lib. XVI. cap. V. fin.

moriam nova hæc dignitas oblitarit, ut  
 imperatori factō Vespasiano discrimen vi-  
 tæ, quod in peregrinatione achaica quon-  
 dam adierat, anſam præbuiffe videatur,  
 Achivos libertate, qua in peregrinatione  
 illa Nero eos donaverat, rursus privandi.  
 Plinius: (13) „Vniversæ Achajæ libertatem  
 „Doniitius Nero dedit. „ Pausanias: (14)  
 „Multis post ætatibus quum ad Neroneū  
 „Romanorum imperium pervenisset, is  
 „Græciæ sine romani imperii detimento  
 „suam reddidit libertatem. Pro ea enim  
 „Sardiniam, prædivitem insulam in provin-  
 „ciæ formam redegit. -- Sed enim non fu-  
 „it hoc beneficium Græcis ad diurnita-  
 „tem stabile. Nam quum imperii guber-  
 „nacula post Neroneū Vespasianus tene-  
 „ret, is Græcos, quasi patrio morbo, se-  
 „ditione laborantes coercuit, & (annuo)  
 „vectigali imposito romanis magistratibus  
 „parere jusfit, quod diceret, libertate uti  
 „Græcos jam dedidicisse. Et hæc quidem,  
 „de Achæorum rebus gestis quæ commi-  
 „morarem, habui.„ Quam causam Pau-  
 sanias affert, eam statim ex Philostrato  
 percipiemus obtentui sumtam a Vespasia-  
 no fuisse. Vera procul dubio libertate  
     Græ-

(13) Hist. Nat. lib. IV. c. VI. add. Sueton. Nerone  
cap. XXIV, fin. (14) Achaic. seu lib. VII. p. 564.  
ed. Kuhnii.

Græcos exuendi huic principi fuit ratio,  
quod Neronis recte factis invideret, magna-  
que beneficii illius gloriam cuperet  
imminutam. Dici enim vix potest, quan-  
tis in cœlum laudibus Neronem Græci ob-  
indultam sibi *αὐτονομίαν* extulerint. Plu-  
tarachus : (15) „Conspexit etiam Nero-  
nis animam, male jam cum alias affe-  
ctum, tum clavis confixam aureis. Huic,  
cum jam opifices formam viperæ pin-  
daricæ præberent, in qua gestata in ute-  
ro & matre peresa viveret, subito, ut,  
narrabat, magnum effulsit lumen, & vox,  
ex eo edita jusfit in aliud mansuetius a-  
nimam mutari, quod circum paludes &  
lacus caneret. Dedisse enim poenas fla-  
gitiorum, & aliquod ei a diis deberi be-  
neficium, quod *subjectarum optimam piissi-*  
*mamque gentem, Græcos, in libertatem vin-*  
*dicasset.*.. Contra autem nec facile credi-  
deris, quam spe sua frustratus sit Vespasianus.  
Qui invidia oestro percitus alii lau-  
dem suam eruptum ivit, ingenti ipse fla-  
gravit invidia & pesime audiit. Philo-  
stratus: (16) „Quod ad Vespasianum pro-  
fectus non sit Apollonius, licet complu-  
ribus ejus invitatus literis, id, qua fa-  
S 2 ctum,

(15) De his, qui sero a Numine puniuntur fin.  
Opp. T. II. p. 567. F. (16) Vit. Apollon. lib. V.  
cap. XLI. pp. 224 & 225. edit. Olear.

„ctum de causa sit, aperiam. Nero Græciam libertate donaverat, præclarus alii quid, quam sui mores ferrent, statuens: & civitates ad mores atticos doriosque redierant, omniaque reflorescebant, concordiam civitatibus colentibus, id quod ne olim quidem Graciæ obtigerat. Vespasianus vero isthac veniens ea illam privavit, seditionum prætextu aliorumque, quæ tantam iram non merebantur. Hæc igitur non iis modo, qui ea patiebantur, verum etiam Apollonio videbantur magis amara, quam ferret justi imperii indoles. Quapropter epistolas hujusmodi ad imperatorem scripsit: *Apolloni*, us *Vespasiano Imp. S.* Graciæ redegisti, in servitutem, & Xerxe aliquid te habere amplius existimas: at, Nerone te factum esse deteriorem, non sentis. Nero enim, cum id haberet, aspernatus fuit. V. *Eidem.* Adeo Graciæ infensus qui sis, ut liberos in servitutem redegeris, quid mea conversatione indiges? V. *Eidem.* Ludens Nero Græcos liberavit: tu autem, agens serio, in servitutem eos redegisti. V., Quorsum igitur cuncta hæc, quæ de perpetuo Vespasiani in Neronem odio fuse adduxi, pertinent? Ut convincaris, Vespasianus nec potuisse nec voluisse Josephum Neronis defensione gratificari, utque persuasissimum habeas idem

idem, testimonio ejus de mala primorum historiarum augustarum conditorum fide fidem plenissimam constare. A Nerone ad antegressos eum si regrediamur imperatores, quos pariter primipilos istos dente theonino arrosisse, autor est Josephus, nec horum agendo causas demererit Vespasianum Judæus noster potuit. Si quis eorum eguit patrono, is certe Caligula est, quo nemo ad Neronis favitiam & libidines accessisse propius dicitur. At quanta hie contumelia Vespasianum ædilem affecit? Dio Cassius: (17) „Quum, forte multum cœni quodam in vico Caligula vidisset, jussit id in vestem Flavii, Vespasiani, cui tum ædili purgandorum, vicorum cura incumbebat, conjici; &c.,“

§. VI. Adfuit testis alienigena. Succedat domi natus, isque magna omnium confessione autoritatis, & πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων Tacitus: (18) „Tiberii, Cajique, & Claudii ac Neronis res, florentibus ipsi, ob metum falsa; postquam occiderant, RECENTIBVS ODIIS compositæ sunt. Inde consilium mihi pauca de Augusto & extrema tradere; mox Tiberii, principatum & cetera SINE IRA & studio,“

S 3

quo-

(17) Lib. LIX. pag. 649. init. edit. Leunclav.

(18) Annal. lib. I. cap. I. fin.

„quorum causas procul habeo.“ Idem:  
 „(19) „Postquam bellatum ad Actium, -  
 „magna illa ingenia cessere. Simul veri-  
 „tas plurimis modis infracta; primum in-  
 „scitia reipublicæ, ut alienæ, mox libi-  
 „dine assentandi; aut rursus ODIO adver-  
 „sus dominantes. Ita neutris cura poste-  
 „ritatis, inter infensos vel obnoxios.  
 „Sed ambitionem scriptoris facile advér-  
 „seris: OBTRECTATIO & LIVOR pronis  
 „auribus accipiuntur. Quippe adulationali-  
 „fœdum crimen servitutis, MALIGNI-  
 „TATI falsa species libertatis ineſt. - No-  
 „bis, incorruptam fidem professis, neque  
 „amore quisquam, & SINE ODIO dicen-  
 „dus est.“ Ita, quod mireris, utriusque  
 sui operis principio scribere non reformi-  
 dat vir, qui ipſe iniquior subinde in impera-  
 tores est, nec polliciti fidem, quam in  
 exorsu liberatiter dat, deinceps omnem  
 in progressu exſolvit, ut ſuo loco demon-  
 strabimus. Quid exinde concluferis ali-  
 ud, quam anteambulones ejus, histori-  
 cos tam licenter & improbe de cæſarum  
 fama detraxisse, ut, instituta cum his compa-  
 ratione, ipſe omnes veracis & æqui scri-  
 ptoris numeros atque partes impleſſe ſibi  
 videretur? Nec fane, ſi vocum, quibus  
 illos exagitat, vim paulo penſiculatiuſ li-  
 bre-

(19) Hist. lib. I. cap. x.

bremus, ambigere de eo fas fuerit. *Recentibus*, dicit, *odii* compositas ab istis res imperatorum fuisse. Odium omne veritati inimicum, at maxime recens, quod, ut recentia quæque, vehementissimum & avidissimum facienda est injuriæ, quam, si aliter nequeas, saltem eum, quem oderis, criminando ut inferas, linguam calamumque pronus es acuere. Quotusquisque est, qui, quem odio prosequitur, ejus benefacta non vel silentio premit, vel carpat & extenuet, errores autem & vitia majorem in modum exaggeret? Vix enim, secus qui instituat, justum probaverit odium suum, quemque odio habeat, dignum etiam odio esse. Odio expositi omnium omnino romanorum primi omnes erant cæsares, quod libertatem, inæstimabile & vel ipsa vita redimendum bonum, ipsis eripuerant; quidam insuper, quod imperium non ex ipsorum sententia & publica utilitate, tragico illo: *Oderint, dum metuant*, freti administrarant. Ergo ab omnibus se Romanis tanto majorem inituros gratiam primi illi cæsarum commentarienses sperabant, quanto pluribus & atrocioribus eos proscidissent convitiis. Nec sine ira, pergit Tacitus, quin *obtredatione & livore* ducti ad scribendum se contulerunt. Pessima consultrix, *ira* nihil, quod rectum æquumque sit, sufficit, sed

vindice manum armans stilo ea tantum  
conquirere & consignare litteris jubet,  
quæ labem affricare vel integerrimo vitæ,  
scelerumque purissimo apta nata sunt.  
Quam, cui ira dominatur, omnem & pu-  
dorem & veritatem susque deque habet?  
Cernere in hominibus est, qui ira inflam-  
mati bilem suam per jurgia & rixas eru-  
ctant atque exonerant. Ea adversariis su-  
is improperant, de quibus illi ne per so-  
mnium quidem cogitarunt; facta, infecta  
miscent; vanissimos incertissimosque ru-  
mores pro indubitato veris ac confessis  
rebus venditant; & Gracchorum instar, de  
seditione querentium, quæ ipsi commi-  
serunt, ea aliis exprobrant. Et, ne pen-  
nam minus, quam linguam, existimes,  
ira exardescere, quod meditatus multo &  
circumspectius, quam loquimur, scriba-  
mus, ac diuturniori temporis mora, quam  
exarandæ literæ exposcunt, ira deferveat,  
quæ, ut cæteræ animi affectiones, quam  
cito existere, tam cito etiam perire a-  
met; memineris scriptorum eristicorum,  
in quibus non doctis docti certant dictis,  
sed maledictis. Non possum non, quin ex  
Francisci Philelphi, felicissimi illius tulli-  
anæ facundiæ & muli, litteris, (20) quas  
de

(20) lib. X. epistolar. edit. Basil. M. D. VI. quæ addi-  
tes nullos epistolis paginisque habet numeros.

de mutuis Laur. Vallæ & Poggii Florenti-  
ni inventivis declamationibus ad utrum-  
que hunc virum simul dedit, quaedam  
appime hoc facientia adjungam. „Quæ-,,  
nam, scribit, injuria tanta est, ut delira-,,  
re vos cogat? Satis enim delirat, qui,,  
mentitur. Ea est certe perturbati animi,,  
natura, ea vis, is impetus ac furor,,  
ut sibi moderari nullo pacto queat: quip-,,  
pe qui in re etiam vera, si minus menti-,,  
tur omnino, aut vanus sit tamen, aut,,  
mendacium dicat; cum vel gratia volu-,,  
ptatis, vel rei ipsius nimietate menda-,,  
cem se præstet. - - Quantum audio,,  
nullum est maledicendi genus, quod,,  
dum invicem per omnem vituperationis,,  
contumeliam digladiamini, intactum re-,,  
liqueritis. Nullum animi flagitium,,  
nullum corporis vitium, nullum fortu-,,  
na, quam vocant, incommodum omisi-,,  
stis. Quod aliud denique genus detis,,  
quo in vestrum dedecus sit utendum ?,,  
Evidem præter singularem quandam &,,  
inauditam ineptitudinem nihil video re-,,  
liquum, quod addatis, quo ridiculo fi-,,  
tis cunctis hominibus. --- Non modo,,  
me Sallustius his non delectat, quæ,,  
scripfit in M. Tullium Ciceronem; nec,,  
item omnino, quæ Cicero in Antonium,,  
aut in Timarchum Philippumque De-,,  
mosthenes: sed etiam vir sanctissimus ac,,

„disertissimus, Hieronymus non sine mo-  
 „lestia a me legitur, cum invehitur in Ru-  
 „finum, quem virum doctum extitisse ex  
 „eius scriptis facile ipsi cognoscimus, san-  
 „ctum vero bonumque fuisse, Aurel. Au-  
 „gustini locupletissimum testimonium do-  
 „cet. Quare, si sapitis, Poggi atque Lau-  
 „renti, missam facite tantam istam tamque  
 „abominabilem maledicendi licentiam.  
 „Memineritis bona fama; memineritis  
 „decoris: memineritis ætatis vestrae, quo-  
 „rum alter jam senium, alter senectutem  
 „agit. Memineritis, inquam, memine-  
 „ritis sempiterni judicii, quod admodum  
 „longe a vobis abesse non potest. An e-  
 „stis oblii: Mihi vindicta, & ego retrí-  
 „buam? Quanquam, in vobis quid sit am-  
 „plius vindicandum, non intelligo: qui  
 „vestrum nomen mutuis orationum gladiis per  
 „omne vituperationum contumeliarumque vul-  
 „nus acerbissime, quantum in vobis fuerit, in-  
 „teremistis. Quid de vobis præsentes sen-  
 „tiant? Quid posteri judicabunt, in  
 „quorum manus scripta vestra perveniant?  
 Porro, si autore Tacito augusteorum histori-  
 corum mentes calamosque obtrectatio re-  
 xit, annon Augustorum obtrectarunt ob-  
 strepueruntque laudibus, & illorum etiam  
 optima instituta in sequiorem interpretati-  
 sunt partem? Res tam clara est, & sua lu-  
 ce radiat, ut ei illustrandæ vel unam adhi-  
     be-

bere voculam, esset soli facem accendere. Denique qui potius omnem decoxisse fidem censendi sunt, quam quos scripturientes *livor transversos* egit? Invidorum dentes Ovidius, sed ego dixerim & literas rubigine livere; quorumque pectora felle virent, eorum, par ratio est, tam calamos, quam linguas veneno suffundi. Scite Cornelius noster *obtrectationem* & *livorem* proxime conjungit. Sunt enim affinia admodum vitia, alterumque alterius poscit opem & conjurat amice; quodque potissimum heic attendendum venit, unos eosdemque utrumque petit homines. Utros autem? Bonosne, an malos? Omni procul dubio bonos. Neque enim alterius vitiis quisquam, qui quidem fanus sit, invidet atque obtrectat: sed virtutes & insignia sunt merita, sed utrorumque sunt præmia, divitiae, honores, opes, principatus, quæ limis adspicit oculis invidia, & obtrectatio fugillat atque delibat. Quocirca & virtutibus, oportet, ac meritis Tiberium, Caligulam, Claudium atque Neronem enituisse, quæ invidi illi & obtrectatores, ut supprimerent, vel silentio prorsus involverint, vel in vicina converterint vitia, nimirum liberalitatem in prodigentiam, in avaritiam & sordes parsimoniam, justitiam in superbiam & crudelitatem, atque ita porro. Cui enim non dictus

dictus est Naso canens:

*Et mala sunt vicina bonis; errore sub illa  
Pro vitio virtus crimina sepe tulit?*

§. VII. Suetonium , fateor , ipsum ita notare & culpare nec Josephus potuit , nec Tacitus , quorum alter dimidio eum seculo antevertit , & qualis ejus fuit alter . At quos tamen signant & damnant , eorum fontibus , ut Democriti olim Epicurus , suos Suetonius irrigavit hortulos . Ipse , qui ultimo primorum duodecim cæsarum , quorum vitas contexuit , Domitiano imperante , adolescentulum se adhuc fuisse perhibet (21) nihil per se , aut certe parum scire potuit , sed ex antiquioribus omnia scriptoribus necesse habuit petere : quorum falsas narrationes si adoptavit atque propagavit , & que ac ipsi illi , dignus est , cui fides abrogetur ; si que de industria in cæsarum fraudem id fecit , eodem fraudulentia , malignitatis & invidentia teneatur crimine . Utrumque autem recte ei nos imputare posse , tertia dissertationis hujus pars ad liquidum perducet . Sunt , quæ non lecta , sed audita sibi refert . *A-*  
*vum meum , inquit , (22) narrantem puer*  
*audiebam , causam operis ab interioribus aulicis*  
*proditam , &c.* Atque iterum : (23) Inter-  
*fuit huic bello pater meus , Suetonius Lenis ,*  
*ter-*

(21) Domitiano cap. XII. (22) Caligula cap. XIX. (23) Othone cap. X. init.

tertiae decime legionis tribunus angusticlavius.  
Is mox referre crebro solebat, Othonem &c.  
Quorsum & fors retuleris illud de Nerone:  
(24) Ex nonnullis comperi, persuasissimum e-  
um habuisse, neminem hominem pudicum &c.  
Sed horum tam parcus est numerus, util-  
lis, quæ ex aliorum libris hausit, in alte-  
ra parte collocatis, vix minimi momenti  
instar habeant; insuperque duo priora ita  
comparata, ut nec magnopere laudent  
eos, de quibus prædicantur, nec vitupe-  
rent, adeoque nec Suetonii fidei multum  
vel addant, vel detrahant. Subinde & ad  
acta publica provocat. Ego, scribit, (25)  
in Actis Caligulam Antii invenio editum. Et  
aliquanto post: Sequenda est igitur, que so-  
la Actorum restat, & publici instrumenti auto-  
ritas. Verum quam parum acta eum pu-  
blica juvare potuerint, inferius patescit.  
Frequentius eum, videoas, imperatorum,  
& præcipue Augusti epistolis, dicta sua  
firmantem, inque eo sibi placentem, quod  
exemplaria illarum, si minus tota, at cer-  
te magna ex parte, subjecere queat. (26)  
Sed neque illis, de rebus plerumque ludi-  
cris agentibus, eoque cæsarum famam nec  
extol-

(24) Nerone cap. XXIX. (25) Caligula cap. VIII.

(26) Augusto capp. LXIX. LXXVI. & LXXXVI.  
Tiberio cap. XXI. & LXVII. Caligula cap. VIII. &  
Claudio cap. IV.

extollere admodum, nec deprimere idoneis, fidem suam satis probaverit; & adhuc sub judice lis est, an imperatorum ad intimos suos litteræ, bona fide descriptæ, in vulgus emanarint. Postremo obverti queat, Josephum & Tacitum in eo conspirare, duum generum protohistoricos augusteos esse; *συγχέοντες* illos imperatorum, metu percussos, vel etiam beneficiis affectos omnia eorum supra modum dilaudare, sed, qui recens illis defunctis & hostibus reipublicæ declaratis vixerint, in criminandis odiosis his principibus ad summam impudentiam nihil facere reliqui; Suetonium itaque, qui serius, deflagrante jam, immo extincta prima invidiæ face, floruerit, videri media ingredi via, & utrorumque cum judicio & sine partium studio utentem monumentis, quæ imperatorum digna laude existimet, nec ea defraudare, quæ vero secus, & liberrimo ac justissimo incessere convicio. Noli, quæso, arbitria tam splendida mitiaque de illo viro facere, qui imperatorum melioris notæ famam, rabidi instar canis, allatrat atque admordet, iisdem vero detrioris commatis inaudita excogitatisfimae allinit facinora, ut, non homines, sed immanissimas in hominum figuris belluas fuisse, juraret posteritas: & cave, ne, miser quasi sorex, tua ipsem te voce pro-

prodens, vel penitus non, vel oscitanter versatus in ejus esse lectione videaris. Retundent confundentque te alii ejusdem argumenti, atatisque ejusdem vel supparis, qui atatem tulerunt, autores, quos auream tenacius tenuisse mediocritatem, servasseque decorum decentius, in proclivi foret demonstrare; ut, ne ceteros commemorem, Tacitus, Plutarchus & Dio Cassius, quanquam & horum nemo absque nave sit, & optimus ille, qui minimos in se admiserit.

§. VIII. Argumentum Achilles, quo antesignanorum historiæ augustæ revincimus malevolentiam maledicentiamque, libelli sunt famosi, quos in eorum scriptis utramque facere paginam, quibusque potissimum obstetricantibus adeo multa, quam injuriosa, tam ingeniosa nugatores nequisimos consarcinare potuisse, mihi equidem nullum sedet dubium. In famosos libellos spargendos pronissima Romanorum gens & olim fuit, &, quod Pasquino omni die confirmat, est hodieque. Validissima autem incrementa tetricimus iste innocentissimum & honoratissimum quemque infamandimos sub imperatoribus cepit, ipsosque hos præcipue imperatores derisui ac ludibrio habuit; sed & vindicatus acerrime idem

dem *lege* est *majestatis*. Tacitus : (27)  
 „Legem majestatis reduxerat (Tiberius),  
 „cui nomen apud veteres idem, sed alia  
 „in judicium veniebant. — — Primus Au-  
 „gustus cognitionem de famosis libellis  
 „specie legis ejus tractavit, commotus  
 „Casii Severi libidine, qua viros fœmi-  
 „nasque illustres procacibus scriptis diffa-  
 „maverat. Mox Tiberius, consultante  
 „Pompejo Macro prætore, an *judicia ma-*  
 „*jestatis* redderentur? exercendas leges esse,  
 „respondit. Hunc quoque asperavere car-  
 „mina, incertis autoribus vulgata in sœvi-  
 „tiam superbiamque ejus & discordem  
 „cum matre animum. Etc., Dio Caspi-  
 us : (28) οὐδὲν ὅμιλος, εἰδα ὑπὸ τε τῷ λιμῷ,  
 καὶ ὑπὸ τῷ τέλῃ, τοῖς θύπῳ τῷ πυρὸς ἀκο-  
 λωλόσι κενακωμένος, ἡχαλλε, καὶ πολλὰ μὲν  
 καὶ φανερῶς νεωτεροποιὰ διελάλειν, πλείω δὲ  
 δὴ βιβλία νῦντωρ ἔξετιθεσαν· καὶ ταῦτ' ἐλέγει  
 το μεν ἐκ παρασκευῆς πλεπλίχ τινος Ἐρφώ γι-  
 γνεθαι, ὑπαπτεύετο δὲ εἰς αἴλας. Ο μεν γαρ  
 Ἐρφώς ὄντε ἐν Θυμηθῆναι τις αὐτῶν, ὄντε πρᾶξας  
 ἔδυνατο· ἕτεροι δὲ τῷ ἐκείνῳ ὄνόματι καταχρεω-  
 μένοι κανονομεῖν ἐπιτιεύοντο. Καὶ διὰ τότο Ση-  
 τησις τε αὐτῶν ἐψήφισθη, καὶ μῆνυτρα προστέθη-  
 μηνύσεις τε ἐγίγνοντο, καὶ ἡ πόλις ἐκ τότων ἐταρά-  
 θετο „Plebs igitur fame, tributo, incendiis  
 „, at

(27) Annal. lib. I. cap. LXXII. (28) Auguste  
 lib. LV. p. m. 566. D.

affecta indignari, multa palam de novis,,  
rebus loqui, multos noctu libellos propone-,,  
re: quæ omnia P. cujusdam Rufi instin-,,  
ctu fieri ferebantur, suspicio autem ad,,  
alios inclinabat. Ipse enim Rufus nec a-,,  
nimo concipere, nec agere quid horum,,  
poterat; sed alii sub ejus nomine crede-,,  
bantur novandis rebus studere. Itaque,,  
decretem est factum, ut in eos inquire-,,  
retur, indicibusque præmia constituta,,  
nonnullique delati sunt, atque hinc tu-,,  
multus in urbe exortus est., Exuti armis  
a Cæsaribus Romani, sed animum reti-  
nentes hostilem, oris calamique spiculis,  
quod unum ipsis reliquum erat, bellum  
cum dominatoribus suis gesserunt, atque  
hæc cum maxime noctu, ut laterent, in  
eos vibrarunt. Quam indomitam rabiem  
cum compescere illi nec gravissimis pro-  
positis pœnis quirent, varie eos legimus  
affectione suis. Aliquamdiu generoso con-  
temptu omnès criminationes vindicarunt,  
rati, qua erant perspicacia, fore ut, si  
ultum eas irent, pro veris haberentur, &  
irritarentur autores; sin præ se ferrent,  
quod ne dignas quidem inquisitione judi-  
carent, ut ultro vanas mox discederent in  
auras, & commentis accenserentur. Qui-  
bus se excusans accusatus majestatis apud  
Tacitum (29) Cremutius Cordus: „An-  
T. II. P. II. T to-,,

(29) Annal. lib. IV. cap. XXXIV. fin.

„tonii, dicit, epistolæ, Bruti conciones,  
 „falsa quidem in Augustum probra, sed  
 „multa cum acerbitate habent. Carmina  
 „Bibaculi & Catulli referta contumeliis  
 „cæsarum leguntur. Sed ipse divus Juli-  
 „us, ipse divus Augustus & tulere ista &  
 „reliquere; haud facile dixerim, modera-  
 „tione magis, an sapientia. Namque  
 „spreta exolescunt; si irascare, agnita vi-  
 „dentur.” De Tiberio Suetonius: (30)  
 „Adversus convitia malosque rumores & fa-  
 „mosa de se ac suis carmina firmus ac pa-  
 „tiens subinde jactabat; *in civitate libera*  
 „*linguam mentemque liberas esse debere.* Et  
 „quondam senatu cognitionem de ejusmo-  
 „di criminibus ac reis flagitante: *Non tan-*  
 „*tum, inquit, otii habemus, ut implicare nos*  
 „*pluribus negotiis debeamus.* Si hanc senestram  
 aperueritis, nihil aliud agi finetis: *omnium*  
*inimicitiae hoc praetextu ad vos deferentur.* Etc.  
 Rursus de eodem: (31) „Quæ (probra fa-  
 „mosis, qui præcedunt, versiculis in eum  
 „jacta) primo, quasi ab impatientibus  
 „Romæ dominii, ac non tam ex animi  
 „sententia, quam bile & stomacho finge-  
 „rentur, volebat accipi. Dicebatque i-  
 dentidem: *Oderint, dum probent.* Validus  
 hinc spernendis rumoribus Tacito (32)  
 au-

(30) cap. XXVIII, init. (31) cap. LIX, fin. (32)  
 Annal. lib. III. cap. X.

audit Tiberius. Pariter de Nerone Tranquillus: (33) „Neque autores (probrosorum carminum) requisivit; & quosdam, per indicem delatos ad senatum affici graviore pœna prohibuit - vel contemptus, omnis infamia, vel ne, fatendo dolorem, irritaret ingenia.“ Sic igitur affecti, morem sapientissimo Mæcenatis monito gesserunt, quem his usum vocibus ad Augustum Dio Casius (34) narrat: „Quod quis convicium tibi fecerit, aut quid alienum dixerit, neque deferent te aliquo audire, neque ulcisci debes.“ Turpe enim fuerit, te credere, inventum, qui te neminem laudentem, omnibus benefacientem ignominia affectavit: idque soli faciunt malis principes, qui ex conscientia sua veritatem dictorum proditam colligunt. Deinde iniquum est, ea ægre ferre velle, quæ, si vera sunt, præstat non admisisse; si falsa, disimulare: quum multi, hæc vindicantes, pluribus ac gravioribus de se sermonibus, occasionem præbuerint. Hic igitur est, meus sensus de obtrectationibus: ac convenit, te omni altiore esse injuria, & neque ipsum id in animum tuum inducere, neque aliis eam opinionem subjicere, extare, qui in te contumeliosus esse,

T 2

au-

(33) cap. XXXIX. (34) lib. LII. p. 486. B. C.

„ausit, ut jam idem de te, quod de diis  
 „immortalibus judicetur, esse te veneran-  
 „dum.,, Sed lacesisti s̄apius, & majestas-  
 „tis fastigio insolentiores paulatim facti, a-  
 „nimadvertisendum in autores censuerunt,  
 „senatui causæ cognitione demandata, sic  
 „tamen, ut mortis damnatos ipsi, clemen-  
 „tiæ aucupantes laudem, vita donarent;  
 „quod nec de ferocissimis negatur. Ta-  
 „citus in Tiberio: (35) „Adolescebat lex  
 „majestatis, & Apulejam Variliam, foro-  
 „ris Augusti neptem, quia probrofis ser-  
 „monibus divum Augustum ac Tiberium,  
 „& matrem ejus inluisisset, Cæsarique con-  
 „nexa adulterio teneretur, majestatis de-  
 „lator arcescebat. - Majestatis crimen di-  
 „stingui Cæsar postulavit, damnarique, si  
 „qua de Augusto in religiose dixisset: in se-  
 „jacta nolle ad cognitionem vocari. In-  
 „terrogatus a consule, quid de his cense-  
 „ret, quæ de matre ejus locuta secus argu-  
 „eretur, reticuit; dein proximo senatus  
 „die illius quoque nomine oravit, ne cui  
 „verbâ in eam quoquo modo habita cri-  
 „mini forent, liberavitque Apulejam lege  
 „majestatis; adulterii graviorem poenam  
 „deprecatus, &c., Idem in Nerone: (36)  
 „Antistius probrofā adversus principem  
 „car-

(35) Annal. lib. II. cap. L. (36) ibid. lib. XIV.  
capp. XLVIII. & XLIX.

carmina factitavit, vulgavitque celebri,  
convivio. - Exin a Cossutiano Capitone,  
majestatis delatus est. Tum primum re-  
vocata ea lex: credebaturque haud per-  
inde exitium Antistio, quam imperatori,  
gloriam quare, uti, condemnatus a se-  
natū, intercessione tribunicia morti exi-  
meretur. - Consules perficere senatus,  
decretum (quo absolutus Antistius erat),  
non ausi, de consensu scripsere Cæsari. Il-  
le inter pudorem & iram cunctatus, po-  
stremo rescrispit; nulla injuria provoca-  
tum Antistium gravissimas in principem,  
contumelias dixisse: earum ultionem a  
patribus postulatam; & pro magnitudine,  
delicti poenam statui par fuisse: ceterum  
se, qui severitatem decernentium impe-  
diturus fuerit, moderationem non pro-  
hibere; statuerent, ut vellent; datam &  
absolvendi licentiam. Denique vero  
tanta esteratos immanitate quosdam per-  
hibent cæsarum, ut non modo nullius, qui  
libellum in se calumniosum scripsisset, pe-  
percerint vitæ, sed & innoxios plurimos,  
hujus, quam vocabant, impietatis postu-  
latos quidem a delatoribus, sed minime  
convictos, ad supplicia rapuerint. Quod-  
que horrendum est, & dictu incredibile,  
Tiberius fertur nova ipse de se crimina  
confinxisse, inque vulgus disseminari cu-  
rasse, ut extantibus, perque omnium ora-

T 3

va-

vagantibus novis criminibus , & extare ,  
 qui denuo ea primi disseminarint , ac jure  
 se eos querere , persuaderet . Dio Cassius : (37) „Ælium Saturninum Tiberius ,  
 „quod is de ipso carmina quædam famosa  
 „temere consuisset , senatui reum tradidit ,  
 „damnatumque de Capitolio præcipitavit .  
 „Multa id genus alia scribere haberem , si  
 „omnia persequi instituisse . Hoc ad  
 „summam dictum esto , multos ob hujus  
 „modi causas ab eo neci datos : & illud  
 „præterea , quod , dum singulatim & ad  
 „curate inquireret , quidquid finestre de se  
 „lœuti quidam accusarentur , ipse deinceps  
 „omnia , quæ proficiunt ab homini-  
 „bus possunt , de se ipso flagitia proferret .  
 „Etenim si quis , in arcano cum aliquo  
 „collocutus , in Tiberium quidquam di-  
 „xisset , id in publicum ab ipso raptum est ,  
 „ac in publicos adeo commentarios rela-  
 „tum . Multa quoque ipse affinxit , nun-  
 „quam a quoquam dicta , sed quorum  
 „ipse sibi conscientius esset , quo justius irasci  
 „putaretur . Inde evenit , ut propter quæ  
 „alios , quasi impios , puniret , eorum o-  
 „mnium culpam in se conferret , risuque  
 „præterea se exponeret : dum , quæ infici-  
 „as ibant alii se protulisse , ea affirmando  
 „ipse adjurandoque , verius se ipsum læde-  
 „bat .”

(37) lib. LVII. p. 618. C. D.

„bat.“ Quatenus tamen excusari in eo  
Tiberius queat, parte tertia indigitabimus.  
Nihilominus certissimum videtur, libellis  
famosis & majestatis, ad quod illi in primis  
referebantur, crimine casares non plane  
nulos, ut inexplicabilem suam explerent  
alienarum opum aviditatem, & ardentissi-  
mam humani crux sitim restinguenter,  
abusos plurimum fuisse. Præcipua laudi  
laudatissimo imperatorum dicitur Traja-  
no, quod pernicioſissimarum illarum insi-  
diarum metu Romanos exsolverit. Plini-  
nius orator: (38) „Locupletabant & fi-  
scum & ærarium non tam voconia & ju-  
liæ leges, quam majestatis singulare &  
unicum crimen eorum, qui crimine va-  
carent. Hujus tu metum penitus sustu-  
listi, contentus magnitudine, qua nulli,  
magis caruerunt, quam qui sibi majesta-  
tem vindicabant.“ Sed pluribus superse-  
deo de libellis famosis, & majestatis cri-  
mine ac lege afferendis, de quibus copio-  
fissime Bælius dissertatione secunda lexi-  
co ipsius historico-critico subiecta (39)  
egit.

§. IX. Potius propiusque nostrum est,  
demonstrare, pulcherrimos flores, gem-  
mas pretiosissimas & lucidissimas, quibus

T 4

cæ-

(38) Panegyr. cap. XLII. init. (39) Tœm. IV  
PP. 588 - 602. edit. germ. Gottsched.

cæfariani priimi autores opera sua distinxerint atque exornaverint, famosos hos esse libellos. Seneca: (40) „Tímagenes, históriarum scriptor quædam in Augustum, quædam in uxorem ejus & in totam dormitum dixerat, nec perdidérat dicta. Magis enim circumfertur & in ore hominum est temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæsar monuit, ut moderatius lingua uteretur: perseveranti domo sua interdixit. Postea Tímagenes in contubernalio Pollio, onis Asinii consenuit, à tota civitate disreptus est. (id est certatim expetitus) Nullum illi limen præclusa Cæsaris domus abstulit. Historias postea, quas scripsérat, recitavit & combussit. Inimicietas gesit cum Cæsare: nemo amicitiam ejus extimuit; fuit, qui præberet tam alte cadenti sinum, hocque duntaxat Polloni Asinio dixit Augustus: Θηριοτρόφεις, Impudentissimum hunc nebulonem, annon plus quam verisimile est, & recentissimos quosque ac mordacissimos libellos famosos, magno undique studio conquisitos, in usum, vel potius abusum suum, vertisse, utque tanto magis cum suam diffamandi libidinem exsatiaret, tum cupidissimis aliena opprobria oculis auribusque hausturos delectaret, nihil

(40) lib. III. de ira cap. XXIII.

hil non excerptisse, quin & additamen-  
tis invidiosissimis exaggerasse, quod face-  
re ad infamiam maximi principis maxime  
arbitrabatur? Sed conferamus nos ad illum,  
cujus duodecim cæsares omnibus evolven-  
di facta copia est. Inseruitne illis magno  
numero ipsa ad verbum famosa carmina?  
Adi, sis, eum in Julio Cæsare, (41) Au-  
gusto, (42) Tiberio, (43) Nerone, (44)  
Othonem, (45) & Domitiano. (46) Quid  
quod integrum denique opus suum hoc  
disticho, non in unum Domitianum, sed  
& in antecessores omnes cæsares injurio,  
tantum non finit:

Nuper Tarpejo quæ sedit culmine  
cornix,

*Est* bene, non potuit dicere; di-  
xit, erit.

Sed quam non persuaderi mihi patiar,  
cornicem ante paucos, quam Domitia-  
nus occideretur, menses in Capitolio e-  
locutam esse: "Εσαι πάντα καλῶς· tam ad-  
duci nequeo, ut credam, tranquillo Tran-  
quillum, Lenis filium *leni*, nullisque con-  
turbato affectibus animo scripsisse. Præ-  
ter famosos, quos signavimus, versus, fa-  
mosa multa prosæ orationis scripta, si mi-

T 5 nus

(41) capp. XX. XLIX. L. LI. & LXXX. (42)  
capp. LXVIII. & LXX. (43) cap. LIX. (44) cap.  
XXXIX. (45) cap. III. (46) cap. XIV.

nus tota, certe mutila, in historiam suam intulit, nec quicquam aliud, magnam sui partem, duodecim ejus cæfarum sunt vitæ, quam carinantium chartarum frusta, idque potissimum agit, ut centones suos lectori farciat. Conjecturam capere ex eo est, quod in rebus maxime dubiis & pene incredibilibus perraro idoneos autores excitet, satis habens generatim dixisse *dicitur, ferunt, additur, nemo dubitat*, quæque his gemina sunt. Quod opera pretium fuerit uno & altero exemplo stabilitum ire. *Matris*, ait (47) concubitum Neronem *appetisse, nemo dubitavit*. Tacitus vero: (48) „Tradit Cluvius, ardore retinendæ Agrippinam potentia eosque proiectam, ut offerret se sapienter temulentio Neroni comptam & incesto paratam. — Fabius Rusticus, non Agrippinæ, sed Neroni cupitum id, memorat. „Sed, quæ Cluvius, eadem ceteri quoque autores prodidere, & fama hoc inclinat., Heic δις διὰ πατῶν. *Nemo dubitavit de Neroni*, dicit Suetonius: Tacitus, dubitasse, imo negasse & Cluvium, & excepto uno Fabio Rustico, ceteros omnes autores, & ipsam denique famam. Ille nullos autores, cum omnes, ut quidem præ se fert, poscit, nomi-

(47) Nerone cap. XXVIII. (48) Annal. lib. XIV.  
cap. II.

minatim profert; hic *dus* suis appellat *nominibus*, & ad *universos reliquos confidenter provocat?* Uter fidem meretur? Rursum Suetonius: (49) „Adduntur his atro-,  
ciora, nec incertis autoribus, ad visen-,  
dum interfectæ (suo jussu matris) cadaver,  
accurrisse (Neronem,) contrectasse mem-,  
bra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique,  
interim oborta bibisse.“ At, Tacitum si  
audis, & ex altera parte certi sunt autores,  
qui infitantur. „Hæc (quæ de parricidio,  
narrata hactenus sunt) consensu, ait, (50),  
traduntur. Aspiceritne matrem Nero, &  
formam corporis ejus laudaverit, sunt, „  
qui tradiderint, sunt, qui abnuant.“ Ul-  
teriorius progredior, & Suetonium non mo-  
do aliorum exscripsisse, sed quoque ipsum  
calumniosas litteras composuisse conten-  
do, nec biographum, sed fillographum,  
opusque ejus satyricon potius, ut nequit*ꝝ*  
Arbitri illud, quam historiam appellan-  
dum censeo. Nullum imperatorem prius  
a se dimitit, quam insigni eum adsperser-  
it infamia, & vel ex hominum celebra-  
tissimis catamitos scurrasque faciendo aut  
detestandos eos, aut deridendos posteri-  
tati cunctorum seculorum propinat. De  
Augusto: (51) „Prima juventa variorum,  
de,“

(49) Nerone cap. XXXIV. (50) Annal. lib. XIV  
9. (51) August. cap. LXVIII.

„dedecorum infamiam subiit. Sex. Pomppejus, ut effeminatum, infectatus est.  
 „M. Antonius, adoptionem avunculi stupro  
 „meritum. Item Lucius, Marci frater,  
 „quasi pudicitiam, delibatam a Cæsare,  
 „A. etiam Hirtio in Hispania CCC. millibus  
 „nummum substraverit: solitusque sit cru-  
 „ra suburere nuce ardenti, quo mollior pi-  
 „lus surgeret. Sed & populus quondam  
 „universus ludorum die & accepit in con-  
 „tumeliam ejus, & assensu maximo com-  
 „probavit versum in scena pronuntiatum  
 „de Gallo matris deum tympanizante:

„Videsne, ut cinædus orbem digi-  
 „,to temperet?

„Adulteria quidem exercuisse, ne amici  
 „quidem negant; excusantes sane &c.,  
 Ergo hæc adulteria seponamus. Horren-  
 da autem priora illa quibus narrat autori-  
 bus? Sexto Pompejo, Marco Antonio, &  
 fratre ejus Lucio, juratisimis Augusti ho-  
 stibus. Quocirca ipse quidem Suetonius  
 non, ut dicentem percepimus Tacitum,  
 (52) recentibus odiis Augusti historiam com-  
 posuit; sed tamen, quod eodem plane re-  
 cedit, tetricima, quæ recentissimis suis odiis  
 in Augustum internecini ipsius hostes evo-  
 muerunt, convicia historiæ hujus fecit  
 par-

VIII (52) Redi ad §. VI.

partem. Est prudentis, æqui ac modesti, sive historici, sive biographi, ea summum post fata adhuc monarcham, in primis cætera si non malus fuerit, prosequi reverentia, ut quæ ad opprobrium ejus utcunque spectantia, testibus vel nullis, vel falsis & futilibus nituntur, ea omnia silentii peplo involvat, nec comici illud usu suum faciat: *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.* At *populum quoque universum,* inquis, Suetonius producit testem. Quasi vero populi vox semper Dei vox sit, ut irreligioso fertur proverbio; tuque nescias, quam procax dicaxque Romuli illafæx fuerit. Et unde, quæso, populus accepérat? Ex incertis rumoribus, aut, ut facilis sim, certiori fama, quæ vero & ipsa tam pravi fictique tenax, quam nuntia veri est. Sed quid multa? Subjungit ipse Suetonius: (53) „Ex quibus sive criminibus, sive maledictis, infamiam impudicitia facillime refutavit & præsentis, & posteræ vitæ castitate. - Circa libidines, hæsit; postea quoque, ut ferunt, ad vietandas virgines promptior, &c.” Ad quæ Sabellicus: *Per libidines mulierum intellige congressus: nam quod impudicitia infamiam declinatam dixit, illud ad Augusti corpus referatur; impudicus enim est, qui & pathicus.* Sic ergo

(53) cap. LXXI. init.

ergo stolidum caput suo se jugulat gladio,  
 nec advertit *infamem* se ab ipso se redditum,  
 qui de ea impudicitiae *infamia* tacere antea  
 noluerit, quam nunc fateri cogitur Augustum,  
 simul atque princeps factus sit, facili-  
 lime & praesentis & posteræ vitæ casti-  
 monia refutavisse. De Galba, qui, auto-  
 re Tacito, (54) omnium consensu capax  
 imperii visus fuit, nisi imperasset, facu-  
 lentus idem scriptor, qui non, ut in ster-  
 quilinio Ennii Virgilius, aurum collegit,  
 sed ex criminofisimis schedis fôrdidissima  
 quævis arripuit avidissime, supparem in  
 modum: (55) „Libidinis in mares proni-  
 or, & eos non, nisi præduros exoletos-  
 que. Ferebant, in Hispania Icelum e ve-  
 teribus concubinis, de Neronis exitu  
 nuntiantem, non modo arctissimis oscu-  
 lis palam exceptum ab eo, sed, ut sine  
 mora velleretur, oratum atque seductum.“  
 Etsi familiare Romanis vitium Galbae tem-  
 poribus sodomiticum fuerit crimen, ta-  
 men senem, qui tertium jam & septuage-  
 simum ætatis ingressus sit annum, tanta  
 adhuc æstuasse falacitate, ut a nefando stu-  
 pro imperium suum auspicaretur, fabulam  
 & convicium redolet. Quare nec Taciti-  
 tus, nec Plutarchus, nec Dio Cassius, de

im-

(54) Hist. lib. I. cap. XLIX. fln. (55) Galba cap.  
 XXII.

imperii ejus verba facientes primordiis, turpitudinis hujus meminerunt: quin etiam successorum Galbae impudicitiam ejus opponere pudicitiae Tacitus videtur. Interempto Galba „duos, ait, (56) omnium mortalium, *impudicitia*, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non senatus modus & eques, sed vulgus quoque palam, morere.., In qua Savilius: *Otho & Vitellius hic pares bono principi ex adverso consistunt, &c.* Cave, objeceris Aurelium Victorem & Paulum Diaconum, quorum alter: (57) *Galba in adolescentes infamis*; alter (58) de eodem: *Iste in adolescentia infamis*, scripsit. Exscripsit enim ille Suetonium, hic rursus Victorem, ac posterior quidem tam negligenter, ut diversum, immo adversum phrasis fundat sensum. Anne enim distant, immo obstant, infamem esse in adolescentes & in adolescentia? Sed pergaminius, vel potius ad finem primae hujus proferemus partis. Vespasiano scurrilitatem vitio verrit Suetonius, inquiens: (58) *Erat dicacitatis plurime, & sic scurrilis ac sordidae, ut ne prætexatis quidem verbis abstineret.* Sed paulo ante inquinatisimum ipse & impurissimum egredit scurram. Accipe ipsa ejus verba: (59)

(55) Hist. lib. I. cap. L. (57) Epitome imperator. cap. VI. (58) Hist. Miscell. lib. VIII. cap. VII. (58) Vespasian. cap. XXII. (59) ibid. cap. XX.

„Statura Vespasianus fuit quadrata, com-  
 „pactis firmisque membris, vultu *veluti ni-*  
 „*tentis*. Unde quidam urbanorum non in-  
 „facete: siquidem petenti, ut & in se ali-  
 „quid diceret: Dicam, inquit, *cum ven-*  
 „*trem exonerare desieris.*„ Quid demum  
 est, si hoc non est, *indignissime*, quod in  
 titulo scripsimus, *imperatoriam majestatem*  
*habere?* Quid interest posteritatis, tam ac-  
 curate imperatoris hujus nosse vultum, ut  
 tam foetido eum simili exprimeret? Etan-  
 ne alio non uno utens potuit idem æque  
 perspicue dicere? Ad joca & sales propen-  
 sior etiam Augustus fuit; qui nec lethali  
 morbo correptus iis abstinuit, utque mor-  
 tis amaritiem condimento isto leniret,  
 non nisi jocabundus ac ludens vita exce-  
 dere voluit. Libet ipsius Suetonii referre  
 vocibus: (60) „Causam valetudinis con-  
 „traxit ex profluvio alvi. Tunc Campan-  
 „ia ora proximisque insulis circuitis;  
 „Caprearum quoque secessui quāriduum  
 „impedit, remississimo ad otium & ad  
 „omnem comitatem animo. - - Ephebis  
 „epulum in conspectu suo prabuit, per-  
 „missa, immo exacta jocandi licentia, di-  
 „ripiendique pomorum & obsoniorum re-  
 „runque misilium. Nullo denique ge-  
 „nere hilaritatis abstinuit. - - Supremo  
 „die

(60) Auguste cap. XCIX. & XCIX.

die identidem exquirens, an iam de se,,  
tumultus foris esset, petito speculo, ca-,,  
pillum sibi comi, ac malas labentes cor-,,  
rigi præcepit. Et amicos admissos per-,,  
cunctatus; Ecquid iis videretur minimum vitæ,,  
commode transegisse, adjecit & clausulam:,,

Δότε ἡρότον, καὶ πάντες υμεῖς μετὰ χα-,,  
ρᾶς κτυπήσατε.,,

Omnibus deinde dimisis, repente in,  
osculis Liviæ & in hac voce defecit: *Li-,,*  
*via, nostri conjugii memor vive, ac vale.*,,  
Jam percipe quemadmodum Macrobius,  
(61) Augusti jocos longo ordine enumera-  
ratus, ordiatur: „Augustus, inquit, „  
Cæsar affectavit jocos, salvo tamen maje-,,  
statis pudorisque respectu; nec ut cade-,,  
ret in scurram.,, Ita decuit parcere hono-  
ri ac famæ principis, cui πᾶσα ὁμηρεύη,  
(62) universa habitabilis terra fuit subjecta,  
quiique de eadem meritus optime est. An  
vero secus comparatum erat cum Vespasi-  
ano? Multa id genus alia adjungerem, ni-  
si parti ea tertiae reservanda forent.

§. X. Provehimur tandem aliquando  
ad secundum, quod propositum nobis fuit  
nembrum, videlicet NE POTUISSE QUI-  
DEM primos rerum cæsarearum autores in  
T. M. P. II. V iis

(63) Saturnal. lib. II: cap. IV. init. (62) Luc. II. 1.

iis, quæ referunt, veritati semper litare: quod sane multo brevioribus dabitur nobis expedire. Cum enim, quicunque rerum sibi ipsis minus cognitarum notitia imbuere alios adgrediuntur, eos plurimis modis, necesse sit, falli & fallere; abunde videbor demonstrasse, istos homines ne potuisse quidem verum semper in cæsarum historia attingere, ubi, parum eos cæsarum res exploratas habuisse, evicerent. Fuerunt imperatorum res vel publicæ, vel private. Publicas eos parum habuisse perspectas, luculentissime probat Dionis Casii (63) locus, cuius vero, utpote prolixioris, latinam solummodo interpretationem expromam: „Quemadmodum res publica in meliorem ac salubriorem formam ordinemque commutata fuerit, „(per Augustum scilicet, ut manifestissima sermonis cohærentia invicte demonstrat) „expositum est hactenus. Cæterum quæ postea res gestæ sunt, eodem modo, quo superiorum temporum acta perscribi non possunt. Iis enim omnia, quæ vel procul ab urbe agerentur, ad senatum populumque referebantur; ideoque omnes ea cognoscebant, ac multi litteris tradebant. Et quamvis non deeraint, qui metui aut gratiæ, inimicitiaqne vel amici-

(63) lib. LIII, p. 509. D. E. & seq.

amicitiæ in condenda historia aliquid tri-,  
buerent; tamen apud alios, eadem mo-,  
numentis complexos, ac publicis in com-,  
mentariis reperiri rerum gestarum veri-,  
tas aliquo modo poterat. Verum a tem-,  
pore immutatae reipublicæ, quia plera-,  
que occulte agi coeperunt, parum fidei,  
eorum narratio invenit: quin etiam, si,  
quid in publicum emanavit, tamen ei,  
quoque non multum certitudinis, rei,  
quippe non satis exploratæ, tribuitur. Est,  
enim suspicio, omnia dici agique ad ar-,  
bitrium imperatorum, eoruinque, qui,  
horum sunt potentiaæ participes: atque,  
inde fieri, ut multa conficta divulgen-,  
tur; multa, quæ vere acta sint, igno-,  
rentur; denique secus omnia, quam e-,  
venerint, edantur. Jam ipsius etiam im-,  
perii moles, ac rerum multitudo efficit,  
ut difficillimum sit, omnia accurate me-,  
moriæ prodere. Etenim permulta quo-,  
tidie Roniæ, multa in subjectis regioni-,  
bus, multa contra hostes geruntur; de-,  
quibus præter eos, qui ea conficiunt, ne-,  
mo quicquam certi facile cognoscit; ple-,  
rique etiam, ne facta quidem esse, au-,  
diunt. Idcirco deinceps omnia ego ea,  
quæ recensere operæ est, ut ab aliis indi-,  
cata sunt, commemorabo; sive ita rei,  
veritas, sive etiam aliter; mea tamen,  
nonnunquam apposita opinione, si quan-,

„do fieri potuit, ut ex multis his, quæ legi, vidi, audituve accepi, aliter rem, quam vulgo traditum sit, gestam conjectarem..” Hunc in modum exclamare quasi cum Marone (64) cogitur:

*Pandite nunc Helicona, deæ!  
Et meministi enim, dico, & memorare potestis:*

*Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura;*

vir ille, qui ab imperatoribus, sub quibus claruit, ad summos enectus honores & prætor, & bis consul fuit, insuperque amplissimas provincias, Africam, Dalmatiam & Pannoniam superiorem rexit, ut in vita ejus, breviter a Leunelavio consignata videre est; cuique adeo præ infinitis aliis liber ad imperatorum æta patuit aditus. Quid de istis statuendum cæsarum scriptoribus, quibus non eadem æque suppetuit facultas? Rectissime igitur supra (65) nos docuit monuitque Tacitus, veritatem quidem pluribus infractam modis ab historicis augusteis fuisse, at primum & præcipue *inscitia reipublicæ, ut alienæ.* Versabatur hæc inscitia in illis potissimum rebus, quæ plurimum ad imperatorum conferebant infamiam. Rursum Dio Cassius (66), His ,actis

(64) Aeneid. lib. VII. vv. 641, 645 & 646. (65)  
§. VI. (66) lib. LIV. p. 53c. D.E.

actis complures statim, multi deinde de-,  
lati sunt, quod Augusto Agrippæque in-,  
fidias struxissent, five id crimen jure, „  
five injuria eis objectum fuerit. In hu-,  
jusmodi namque rebus nemini præter e-,  
os, ad quos exspectant, certo quicquam,„  
cognoscere licet. Quum enim impera-,  
tor de multis, quasi insidiis eorum peti-,  
tus, vel ipse, vel per senatum supplicia,,  
exigat, οὐν ὅτι μάλιστα δικαιότατα συμβῆ, „  
etiamsi justissime ea sumantur, tamen e-,  
um fraude agere, apud multos suspicio,,  
insinuat. Itaque mihi hujusmodi res o-,  
mnes sic, ut vulgo feruntur, scribere in a-,  
nimo est, (nisi quando ex aperte falsa,,  
sint) nihil curiosius scrutaturo, neque dis-,  
putaturo, justene aut secus ex acta, aut,  
verene an falso memoriae sint traditæ., Se-  
cutus in occultandis ita publicis imperiū  
rebus Mæcenatis consilium Augustus vide-  
tur, quod in pulcherrima dedit oratione,  
qua, ne imperium deponeret, ei suasit  
ac persuasit. Denuo Cassius ille Cocce-  
janus , (67) loquentem inducens ipsum  
Mæcenatem: „Sic demum res recte admi-„  
nistrabuntur, si neque de iis ad vulgus re-„  
feretur, neque in aperto consultationes,  
fient., Hinc simulate in imperio tan-  
tum non omnia idem dixit fecitque Au-

V 3

gu-

(67) lib. LII. p. 474. B.

gustus, & id maxime providit, ne, quod  
 pectore clausum, ore etiam promptum ge-  
 reret. Simulavit, imperium se optimati-  
 bus plebique redditurum, ut invitus coa-  
 ctusque retinere illud putaretur. Dio Cas-  
 sius: (68) Hæc quum Augustus imperio  
 „se abdicans ita recitasset, mire senatorum  
 „animi affecti sunt. Fuerunt pauci, qui  
 „eius animum intelligerent, ideoque ad-  
 stipularentur; reliqui aut suspicabantur,  
 „quo hæc consilio dicta essent, aut fidem  
 „iis habebant. Horum alteri artificium,  
 „in occultanda callide sua sententia, Cæ-  
 saris admirabantur; alteri hoc ejus pro-  
 „positum: alteri ægre ejus versutiam, al-  
 „teri poenitentiam coepit reipublicæ pro-  
 „curationis ferebant.,, Brevius & aperti-  
 us idem: (69) πληρωθείσης δέ οἱ καὶ τῆς τρί-  
 της δεκατίας, τὴν ἡγεμονίαν καὶ τὸ τεταρ-  
 τον, ἐκβιαθεῖς δῆθεν, ὑπεδέξατο. „Ter-  
 tio quoque jam decennio completo, in  
 „quartum decennium, coactus scilicet, im-  
 „perium suscepit.,, Observa voculam δῆ-  
 θεν, scilicet; nec dubitabis, quin & tum  
 simulate egerit. Accipe etiam, quam  
 callide, statim post resumptum prima vi-  
 ce imperium, S. P. Q. Romano divisione  
 provinciarum imposuerit. Dio Cassius:  
 (70)

(68) lib. LIII. p. 502. D. (69) lib. LV. p. 556.  
C.

(70) „Quum autem hoc modo Augustus,,  
tam a senatu, quam a populo confirma-,,  
tum sibi haberet imperium, ac nihilomi-,,  
nus popularis esse videri vellet; recepit,  
hoc quidem in se, ut solicite publicis ne-,,  
gotiis præcesset, quod ea cura diligentis,,  
indigerent: sed, nolle se provinciis o-,,  
mnibus imperare, dixit, aut, quas re-,,  
gendas sumisset, in perpetuum guber-,,  
nare; ideoque infirmiores, quia essent,,  
pacatores, senatui restituit; potentiores,,  
provincias, ut quæ plus periculi osten-,,  
derent, ac vel hostes accolas habereunt, „  
vel novos per se ipsæ motus aliquos ciere,,  
possent, sibi retinuit. Id faciebat sub,,  
hac specie, ut senatus optimis imperii,,  
partibus tuto perfueretur, ipse laboribus,,  
& periculis objectus videretur. At sub,,  
hoc prætextu eum vere inermem imbellisque,,  
efficiebat, & ad se solum arma militesque,,  
transferebat.

§. XI. Ad Augusti se exemplum pro-,,  
ximi quique imperatores composuerunt.  
Successor Tiberius apud Tacitum (71) o-  
mnia se facta dictaque Augusti vice legis obser-  
vare gloriatur; concinitque Strabo, cuius  
haec sunt: (72) „Nunquam tanta pax, &,,  
V 4 bo-,,

(70) lib. LIII. p. 503, C. D. (71) Annał. lib. IV.  
cap. XXXVII. (72) Geogr. lib. VI. fin.

„bonorum omnium abundantia potuisset  
 „obtingere, quantam & Cæsar Augustus  
 „præbuit, ex quo ad eum solum summa  
 „rerum est delata, καὶ τὸν ὁ διαδεξάμενος  
 „ὑῖος ἐκεῖνον παρίχει Τιβέριος, κανόνα τῆς διοι-  
 „κήσεως, καὶ τῶν προσταγμάτων ποιέμενος ἐ-  
 „κεῖνον. & nunc successor ejus ac filius præ-  
 „stat Tiberius, normam eum administrati-  
 „onis & edictorum faciens., Speciatim  
 in simulatione & occultandis publicis suis  
 consiliis non imitatus modo Augustum est,  
 sed & longe exsuperavit obscurissimus ille  
 & peritisimus post hominum memoriam  
 simulandi dissimulandique artifex, Tibe-  
 rius; qua de re juvabit Dionem Casium,  
 (73) utut longiorem, audire; „Tiberius  
 „ingenii fuit plane singularis. Nam neque  
 „præ se ferebat, quæ cuperet, & sermo-  
 „ne ab animi sui sententia diversissimo u-  
 „tebatur; negando, quæcumque deside-  
 „raret; annuendo iis, quæ odio haberet:  
 „iratum se, quum minime succenseret;  
 „&quo animo esse, quum maxime indi-  
 „gnaretur, simulabat. Nimirum, quos  
 „suppicio afficeret, iis misericordiam o-  
 „stentabat; infensum se iis, quos venia  
 „prosequeretur, exhibebat: inimicissimos  
 „terre vultu quam maxime benevolo, ami-  
 „cissimos summe abalienato intuebatur:  
 „deni-

(73) lib. LVI. statim a princip.

denique principis omnium nemini cognitum,,  
esse debere censebat , dicere solitus , eum intel-,,  
lectum multorum ac magnorum causam esse,,  
malorum ; contra dissimulato , plura ac majo-,,  
ra commoda parari . Ac , siquidem hæc,,  
tantum in Tiberio fuissent , nemo certe,,  
eorum , quibus cum ipso negotium erat ,,,  
cavere sibi ab eo potuisset ; quum omnia,,  
contrario , atque is sentiret , modo acci-,,  
pientes ea , quæ is nolebat , velle ; & non ,,,  
cupere ipsumi , quæ maxime appetebat ,,,  
judicarent ; nunc autem ita commoveba-,,  
tur animo , si quis ejus sententiam adse-,,  
cucus deprehenderetur , ut multos haud,,  
aliam ullam ob rem necaverit ; adeoque ,,,  
pericolosum esset , non intelligere , qui ,,,  
ipsius esset animus ; (etenim multi dictis ,,,  
ejus , non voluntati assensi , infortunium ,,,  
invenerunt) periculosius etiam , intelli-,,  
gere ; hi enim , quasi institutum ejus ex-,,  
plorassent , idque odio haberent , suspe-,,  
ctabantur . Itaque is solummodo (quod ,,,  
rarissime fit) tutus ferme erat , qui neque ,,,  
ignoraret ingenium ejus , neque argue-,,  
ret . Is enim neque credendo decipie-,,  
batur , neque in odium ejus manifestan-,,  
do , se voluntatem ejus sentire , incurre-,,  
bat . Omnino quippe magnas dabat tur-,,  
bas , qui dictis ejus vel refragabatur , vel ,,,  
adstipulabatur . Scilicet , quum aliud re-,,  
vera fieri , aliud velle videri cuperet ; ne-,,

„cesserat utique erat, ut quosdam in utramque partem sibi haberet adversantes, quorum his veritatis, illis opinionis causa irasceretur.,, Et, ne quis uno plerumque me stantem Dione cavilletur, Tacitus: (74) „Plus in oratione (recusantis imperium Tiberii) dignitatis, quam fidei erat: utpote cui etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, seu adsuetudine, suspensa semper & obscura verba; tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, &c., Idem: (75) „Tiberium Sejanus variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum, intectumque efficeret.,, Rursum: (76) „Audita haec raram occulti pectoris vocem elicuerunt, correptamque graeco versu admisnuit; ideo laedi, quia non regnaret.,, Denuero: (77) „Nullam aequem Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam disimulationem, diligebat.,, Porro: (78) „Cum se honestius calliditate Tiberii - peritum dixisset.,, Et denique: (79) „Non

(74) Annal. lib. I. cap. XI. (75) ibid. lib. IV. cap. I. (76) ibid. cap. LII. (77) ibid. cap. LXXI. (78) ibid. lib. XI. cap. III. (79) Histor. lib. II. cap. LXXVI,

Non adversus cautissimam Tiberii sene-,  
ctutem exsurgimus.,, Consimiliter Sue-  
tonius de Tiberio: (80) „Prcantem se-  
natum (ut imperium susciperet) ambigu-,,  
is responsionibus & callida cunctatione,,  
suspendens.,, Neronem quoque celandi,  
quantum posset, imperii publicas res stu-  
dio ductum esse, argumento sunt hæc e-  
jusdem Suetonii: (81) „Quoties ad con-,,  
sultandum secederet, neque in commu-,,  
ne quidquam, neque propalam delibera-,,  
bat; sed conscriptas ab unoquoque sen-,,  
tentias tacitus ac secreto legens, quod,,  
ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem,,  
videretur, pronuntiabat.,, Qui hoc pri-  
morum cæsarum institutum simpliciter &  
majorem in modum reprehendunt, ani-  
mum suum aut malignum & vitilitigandi  
avidum, aut stupidum atque supinum pro-  
dunt. Sagacissimi quique omnium secu-  
lorum principes maxime idem sibi facien-  
dum duxerunt. Antiquissimus ille Gyges  
annulum habuisse fingitur, de quo ex Pla-  
tione sequentia tradit Cicero: (82) „Cum,,  
palam ejus annuli ad palmam converte-,,  
rat, (Gyges) a nullo videbatur, ipse au-,,  
tem omnia videbat. Idem rursus videba-,,  
tur, cum in locum annulum inverterat.,,  
Ita-

(80) Tiber, cap. XXIV. (81) Nerone cap. XV  
init. (82) Offic. lib. III, cap. IX.

„Itaque hac opportunitate annuli usus regi-“  
 „næ stuprum intulit; eaque adjutrice re-“  
 „gem dominum interemis, sustulit, quos  
 „obstare arbitrabatur; nec in his eum  
 „quisquam facinoribus potuit videre. Sic  
 „repente annuli beneficio rex exortus est  
 „Lydiae.“ Denotatur annulo isthac mirifica Gygis, cum aliorum clam inita consilia expiscandi, tum sua perpetim occultandi solertia, qua improvisus destinata perficere, cunctisque adversariis, & ipso tandem domino suo, Candaule superior factus, hunc vita simul ac regno exuere potuerit. Annulorum enim & hic omniæ fuit usus, ut signarent iis atque obsignarent homines illas suas litteras, multasque alias res, quas celatas, & remotas a libero ac promiseuo intuitu cuperent; nec ambigi potest, quin aliorum clandestinæ molitiones sigillo munitis epistolis explorari commode queant. Omnia sapientissima administrandæ reipublicæ ratio ex multorum judicio est ea, quæ Venetii obtinet. Sed nec ullibi tam sollicite cavetur, ne *arcana statu*s divulgantur, tamque præsens adeunt discrimen, in quos vel levis, quod ea prodant, cadit suspicio; cuius rei memorabile commemorat exemplum in Discursu suo de hodiernis Europæ statibus (83) Nic. Hier. Gundlingius,

(83) Part. II. cap. XIV. §. 87.

us, qui & passim eidem capiti multa alia  
huc aurigantia inferuit. Quid potentissi-  
mi Galliæ & Borusiæ reges? Quam caute-  
& tecte sua belli capiunt consilia, &, ne  
prius dispalecant, quam ea exsequantur,  
omni studio provident? Quis nuper certo  
ante scivit, iterata Borussos vice arma  
Hungaros illaturos, quam ad bellum præ-  
parata omnia essent, & quadrato agmine  
Bohemia invaderetur? Quid Novellæ Pa-  
risiis & Berolino apportare nobis consue-  
verunt? Quid undecunque locorum, ubi  
*avvπεύθυνοι* ad gubernacula sedent potesta-  
tes? *Facta* regum, nulla *molimina*, quæ  
successu destituta officere ipsorum gloriæ  
queant. Hæc ad paucissimorum ante per-  
veniunt notitiam, &, ad quorum perve-  
niunt, ea putent, necesse est, *Cereris my-  
steria*, nulla magis re, quam, quæ Justini  
vox est, *silentii perpetuitate solemnia*. Qui  
secreta ipsorum rimari curiosius, & de iis  
sermocinari liberius atque immodestius  
sustinuerit, is gratia excidit, metuendum  
que habet, ne vincula se maneant, aut  
gravius etiam supplicium. Si igitur in re-  
gnis dudum inveteratis, ac multiplici se-  
tuentibus jure, cumque fidissimis & aman-  
tissimis civibus ita hodie agere rationes  
politicae insinuant; ecquid cæsarum primis,  
quorum imperium recens adhuc erat &  
nutabat, suam vitio vertimus dissidentiam,  
nec

nec potius reputamus cum animis nostris, quod incedendum ipsi semper per ignes cineri suppositos doloso, & nunquam satis vel in horas cautum fuerit, ut carentes sibi ab insidiis vix caverent, etiam dum carent? Cum vero, an honesta sit actio quædam, nec ne, ex agentis potissimum animo atque consilio pendeat; sequitur, in neutram partem scriptores de publicis illorum imperatorum actionibus, quorum consilia juxta cum ignarissimis sciverint, certo judicio pronuntiasse. Detestabilius nullum in omni cæsarum historia extat facinus parricidio Neronis. Verum si eo consilio perpetravit, quod crederet, matris se aliter vel incestum, vel insidias effugere nequire; diceretque apud animum suum, quod postea ad occidendi cognatam suam, reginam Scotiæ, Mariam ipsa semet incitans Elisabetha, Anglia regina: *Aut fer, aut feri; ne feriare, feri;* penitus quidem non, at quadanterus tamen excusari potest. Jam vero Tacitus, Agrippinam, refert, (84) eousque provectionem ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum & epulas incalesceret, offerret se sepius tenaciter compram incestaque parataam: jamque lasciva oscula, & prænuntias flagitiis blandicias annotasse proximos: & ipse Suetonius; (85)

(84) Annal. lib. XIV, cap. II.

(85) minis ejus ac violentia (quas procul dubio post spretos suos amores spreta quoque ipsa & divexata omnibus modis intentavit) territum Neronem perdere statuisse: Dio autem Casius; (86) Sabinam persuasisse Neroni, ut Agrippinam de medio tolleret, quod ab ea diceret infidias ipsi parari; contra Tacitus; (87) Aten, quam Seneca immiserit, ut deferret, per vulgatum esse incestum, gibrante matre, nec toleraturos milites profanum principis imperium. Quæ licet differant, in eo tamen convenient, Neronem censuisse, summam sibi occidendæ matris impositam necesitatem esse, quod cæteroquin futurum crediderit, ut ipse ab ea, vel ejus causa a militibus occideretur; quorum alterum et si Sabina, alterum Senecæ instinctu Ate falso ei persuaserit, ut potuerit tamen utraque persuadere, in causa cum Agrippinæ incestam libidinem, tum violentiam & minas fuisse. Neque vero has parricidii neroniani veras certasque causas, sed probabiles potius autorum, qui memoriaræ eas mandarunt, conjecturas existimaverim. Illæ enim ne unquam exirent in vulgus, sedulo cavisse Nero videtur. Quare cum parricidium quidem ipsum, non vero ejus simul cau-  
ſæ

(85) Nerone cap. XXXIV. (86) lib. LXI. p. 695.  
lin. 7. (87) I, c.

sæ ad dictorum autorum pervenerint notitiam, nec, quam injuste, vel non omnino injuste commissum sit, tradere potuerunt.

§. XII. Ad *privatas*, sive *domesticas* cæsarum res devolvimur, quæ vero implicata frequenter publicis fuerunt, ut, ad utram classem potius referendæ sint, non semper liqueat. Obversetur denuo animis nostris Agrippinæ cædes, quæ & publica Neronis actio fuit, quatenus gravem imperio, rebusque novis studentem fœminam; & privata, quatenus matrem sustulit. Optime se majestati suæ consulere Assyriorum reges arbitrati sunt, si aut nunquam, aut rarissime, nec nisi post longi temporis intercedinem videndos se populis suis præberent. Potiori jure sapientissimus quisque imperatorum, summam suam dignitatem intemeratam fore atque illibatam ratus est, si domus suæ interiora, quantum poterat, clam omnes haberet. Cumque, quemadmodum suæ solem maculæ infuscant, ita & eminentissimorum cæsarum corpora suæ vomicæ, carcinomata sua deformarent, illa in primis haud temere nudanda atque ostendenda imperia multitudini censuerunt. Diu Augustus Juliæ impudicitiam disimulavit, non tantum paterno indulgens affectui, sed & pen-

pensi habens imperii decus atque majestatem. Macrobius: (88) „Indulgentia „ tam fortinæ , quan*tum* patris abutebatur Ju- „ lia. - Non semel præceperat pater, tem- „ perato tamen inter indulgentiam gravita- „ temque sermone, moderaretur profusos „ cultus, perspicuosque comitatus. Idem „ cum ad nepotum turbam similitudinem „ que respexerat, qua representabatur A- „ grippa, dubitare pudicitiam filiæ eru- „ bescibat. Inde blandiebatur sibi Augu- „ stus lætum in filia animum usque ad spe- „ ciem procacitatis, sed reati liberum; &, „ talem fuisse apud majores Claudiani, cre- „ dere audebat. Itaque inter amicos dixit, „ duas sc̄e habere filius delicatas, quas ne- „ cessere haberet ferre, rem publicam & Ju- „ liam. Tandem vero ira atque indignatione transversum actus omnia filiæ fla- „ gitia, absens tamen, libello per quodrum strem recitato, nota senattui fecit: (89) At „ quanta mox imprudentis hujus facti ductus poenitentia est? Seneca: (90) „Divus Au- „ gustus filiam ultra imputiditiae maledi- „ ctum impudicam relegavit, & flagitia, „ principalis domus in publicum emisit; „ admisitos gregatim adulteros, pererrataim „ nocturnis comestationibus civitatem, &c., „ Hac tam vindicanda principi, quam ta- „ T. II. P. II. X cen-

(88) Saturnal. lib. II. cap. V. (89) Sueton. August. cap. LXV. (90) lib. VI. de Benefic. cap. XXXII.

„cenda (quia quarundam rerum turpitudine etiam ad vindicantem reddit) parum  
 „potens iræ publicaverat. Deinde cum,  
 „interposito tempore, in locum iræ subiisset verecundia, gemens, quod non illa  
 „silentio presisset, quæ tamdiu nescierat,  
 „donec loqui turpe esset, sæpe exclamavit: Horum mihi nihil accidisset, si aut  
 „Agrippa, aut Mæcenas vixisset! „ Tamen  
 „citus: (91) „Sallustius Crispus, particeps  
 „secretorum Tiberii - monuit Liviam, ne  
 „arcana domus, ne consilia amicorum,  
 „ministeria militum vulgarentur; neve Ti-  
 „berius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando: eam conditio-  
 „nem esse imperandi, ut non aliter ratio-  
 „constet, quam si uni reddatur. „ Idem:  
 (92) „Penetrabat senatum pavor & admi-  
 „ratio, callidum olim & tegendis sceleribus obscurum (Tiberium) huc confiden-  
 „tiæ venisse, ut tanquam dimotis parietibus ostenderet nepotem sub verbere cen-  
 „turionis, inter servorum iactus, extrema  
 „vitæ alimenta frustra orantem. „ Haud e-  
 „quidem me fugit, quam difficile domi-  
 nedum foris, principes lateant. Augusto Mæcenas apud Dionem Casium: (93)  
 „Certum hoc habe, omnia tua & dicta &  
 „facta

(91) Annal. lib. I. cap. VI. fin. (92) ibid. lib. VI. cap. XXIV. fin. (93) lib. LII. p. 488. E.

facta statim omnibus nota futura. Vives,,  
enim velut in quodam orbis terrarum,,  
theatro, nec fieri poterit, ut vel mini,,  
mum tuum peccatum lateat. Nihil enim,,  
fine arbitris, sed semper in magna homi,,  
num multitudine ages; & perscrutari acta,,  
principum omnes homines libentissime,,  
solent.,, Seneca Neroni: (94) „Tibi,,  
non magis, quam soli, latere contingit.,,  
Multa contra te lux est, omnium in istam,,  
conversi oculi sunt. Prodire te putas? „,  
Oriris. Loqui non potes, nisi ut vocem,,  
tuam, quæ ubique sunt gentes, excipi-,,  
ant.,, Honorio Claudianus (95) patris  
Theodosii nomine:

„Hoc te præterea crebro sermone  
monebo;

Ut te totius medio telluris in orbe  
Vivere cognoscas; cunctis tua gen-  
tibus esse

Facta palam; nec posse dari rega-  
libus usquam

Secretum vitiis. Nam lux altissima  
fati

Occultum nihil esse finit, latebras-  
que per omnes

Intrat, & obtrusos implorat fama  
recessus.,,

X 2

Ac

(94) lib. I. de Clementia cap. VIII. (95) de IV.  
Coniul. Honori v. 269. sqq.

Ac denique Plinius minor: (96) „Habet „hoc primum magna fortuna, quod nihil „tectum, nihil occultum esse patitur: prin- „cipium vero non modo domos, sed cu- „bicula ipsa intimosque recessus recludit, „omniaque arcana noscenda famæ propo- „nit, atque explicat.“ Qui plura in hanc sententiam cupit, adeat Barthium, (97) & ad quos ille ablegat. Verum ejusmodi enuntiata, in confessio est, non simpliciter & absolute, sed comparete & secundum quid oportere intelligi. Ratio eadem est illius:

Quicquid in occulto est, in apri-  
cum proferet actas;

quod notissimo etiam Germani proverbio efferunt. Hoc enim si simpliciter verum esset, nemo homo, sive princeps, sive privatus & subjectus nec dictum suum ullum, nec factum occultare posset. At vero, quod minus integrum eminentissimo positis loco principibus est, aliorum se oculis subducere, quodque eorum res curiosus multi scrutantur, id utrumque ad veri speciem figmentis suis conciliandum avide arripientes quidam, historici dicam, an fabulatores? vel minutissima quaque illorum, quorum vitas describunt, exacte  
co-

(96) Paneg. cap. LXXXIII. init. (97) ad Claudi-  
anum modo excitatum pp. m. 121 & 122.

cognovisse ac in numerato habere vide-  
ri volunt. Furtivum nullus amicæ rapuit  
osculum, quod non oculati; vel in au-  
rem aliquid familiarissimis dixit, quod non  
auriti testes ad ipsos, si diis placet, detu-  
lerunt. Sic expressissimum sunt instar ar-  
delionum atque scurrarum, quos plurimo  
facetissimus Plautus (98) sale perficit.

„Nihil, inquit, est profecto stulti-  
tius, neque stolidius,  
Neque mendacioquius, neque ar-  
gutum magis,  
Neque confidentiloquius, neque per-  
jurius,  
Quam urbani assidui cives, quos  
scurras vocant; - -  
Qui omnia se simulant scire, nec  
quicquam sciunt.  
Quod quisque in animo habet, aut  
habiturus est, sciunt.  
Sciunt id, *quod in aurem rex regine*  
*dixerit;*  
Sciunt, *quod Juno fabulata est cum Jove:*  
Quæ neque futura, neque facta sunt,  
tamen illi sciunt.  
Falson'an vero laudent, culpent,  
quem velint,  
Non flocci faciunt, dum illud, quod  
lubeat, sciant.”

X 3

Sue-

(98) Trinumm. A&I. Scen. II. v. 162. sqq.

Suetonius certe abstrusa multa primorum cæsarum ita particulatim & minute recenset, resecatque ad vivum ita, quasi indi-  
vulsus comes semper & ubique omnium hæserit lateribus, habita secretissima eorum cum conjugibus & liberis colloquia audiverit, irreperitur in cubicula, &, quis viduam prægnantem fecerit, & quo

Mense ; quibus verbis concubere quisque, modis quot (99) confuerit, ad unguem teneat. Seceden-  
do Capreas Tiberius evadere oculos totius Romæ, at non unius Suetonii potuit, neque hunc natanti sibi cum pisciculis in-  
ter femina versantem (100) arcere : & quando ne musca quidem cum Domitia-  
no in palatio fuit, fuisse tamen Suetoni-  
um, & ολιωπάλη interfuisse, oportet. (101) Quam multos admiratores, lectoresque  
cupidos ac credulos istiusmodi cum Pro-  
copio arcanarum historiarum condi pro-  
mi inveniunt ; tam parum iis tribuendum  
fidei perspicacissimus quisque censet ; id-  
quod laudatus ante, velim, te doceat Pe-  
trus Bælius. (102)

### §. XIII.

(99) Juvenal. Sat. VI. vv. 405 & 406. (100) Sue-  
ton. Tiberio cap. XLIV. (101) Aurel. Victor de  
Cæsaribus cap. XI. Idem Epitome cap. XI. & Paulus  
Diac. Hist. Miscell. lib. IX. cap. XI. (102) Tom.  
IV. Lexici historicocritici p. 596, init. edit. germ.  
Gottschedii.

§. XIII. Eximendus restat scrupulus, quem *acta Romanorum iis*, qui nostra hæc lectitarunt hactenus, nec ignari rerum principis populi sunt, plus semel jam injecisse reor. Dispescuntur vulgo in *acta publica & privata*. Publicorum nomine *populi acta*, quæ & *diurna, urbana, & simpliciter atque ἐξόχως acta* nuncupentur, passim venire, opponique *actis senatus*, quæ publicari Augustus vetuerit, (103) Lipsius, (104) consentientem natus Joann. Arzenium, (105) existimat. Negare tamen idem Lipsius nequit, *publicorum monumentorum* appellatione *senatus* quoque *acta* insigniri. (106) Utrumcunque demum sit, in *populi Acta* nulla majoris momenti res, quæque ad cæsarum infamiam magnopere conferre poterant, inferebantur. Tacitus: (107) „Nerone secundum, L. Piso-, ne consulibus, pauca memoria digna e-, venere. Nisi cui libeat, laudandis fun-, damentis & trabibus, quis molem amphitheari apud campum Martis Cæsar exstru-, xerat, volumina implere; cum ex digni-, tate populi romani repertum sit, res il-, lustres annalibus, talia *diurnis urbis actis*,  
X 4 man-

(103) Sueton. August. cap. XXXVI. (104) Excursus ad lib. V. Ann. Taciti. (105) ad Plinii Panegyr. cap. LXXV. princip. (106) ad idem Panegyr. cap. XCV. init. (107) Annal. lib. XIII. cap. XXXI. init.

mandare,, Quæ autem qualesque res a-  
ctorum populi fuerint argumentum, exci-  
tatus modo Lipsius (108) condocet, ni-  
mirum res rationesque populi , judicia  
publica, supplicia, comitia, nativitates,  
illustres mortes, matrimonia, divortia.  
Quas inter eminuerunt *nativitates*, unde  
Suetonius Tiberium Romæ, (109) Antii  
Caligulam natum (110) ex publicis Actis  
probare satagit. Misfis itaque his ad *A-*  
*ga senatus* nos conferamus, quibus non  
tam senatus, quam cæsarum dicta facta-  
que perscripta sunt. Enimvero nihil fere  
cæsares per se, verum omnia per senatum  
agebant, cum primis quæcunque tristia &  
odiosa erant, ut invidiam a se amolirentur.  
Ita majestatis omnes a senatu con-  
demnati sunt, licet crimen proxime in  
ipsos cæsares commissum esset. Quare si  
acta senatus vere & candide relata in lit-  
teras fuissent, tuto adhibere fidem illis hi-  
storicis possemus, quos ea unice in tra-  
dendis cæsarum rebus constaret secutos  
esse. Sed vero Dio Cassius : (111) „A tem-  
„pore immutata reipublicæ καὶ λέγεσθαι,  
„καὶ πράττεσθαι πάντα πρὸς τὰ τῶν αἱ τρα-  
„τάντων, τῶν τε παραδυναμεύοντων σφίσι βρ-  
„λήματα ὑποπτεύεται“ & dici & fieri omnia  
„ad

(108) Excurs. ad lib. V. Annal. Taciti. (109) Tiber.  
cap. V. (110) Calig. cap. VIII. (111) lib. LIII. p.  
509. fin.

ad arbitrium eorum, qui tempore quis-,  
que suo imperium tenent, quique ho-,  
rum potentia sunt participes, suspicio,,  
est.,, Senatores apud Tacitum (112),,  
sorte ductos legimus, qui *festos adulatio-*  
*temporum fœdatus exonerarent.* Si igitur fa-  
sti, an probabilis ulla ratio suadet, non &  
Acta adulatio temporum fœdata fuisse?  
Et quæ fœdior excogitari adulatio potest,  
quam lecta eidem Tacito in *Commentariis*,  
id est *Actis senatus?* „Reperio, ait, (113),  
in Commentariis senatus, Ceriale A-,  
nicum, consulem designatum, pro sen-,  
tentia dixisse, ut templum divo Neroni,,  
(*sed ille adhuc vivebat*) quam maturriime,,  
publica pecunia poneretur.,, De Commo-  
do quidem Lampridius: (114) „Habuit,,  
præterea, inquit, morem, ut omnia, quæ,,  
turpiter, quæ impure, quæ crudeliter, „  
quæ gladiatore, quæ lenonice faceret, „  
*actis urbis* indi juberet, ut Marii Maximi,,  
scripta testantur.,, Verum hunc sub extre-  
ma vita, consentiunt, mente captum fu-  
isse. Cæteri imperatores tam vesani non  
fuerunt, ut sua ipsi opprobria ad seræ po-  
steritatis memoriam per acta sive urbis,  
sive senatus transmitti curarent. Quocir-  
ca & Tiberium helleboro indigere suspi-

X 5

ca-

(112) Histor. lib. IV. cap. XL. (113) Annal. lib.  
XV. cap. LXXIV. (114) Commodo cap. XV.

cati quidam sunt, cum, quocunque in hominem cadere vitium posset, ipse non solum de se prædicaret, sed & *ēc rā zowā ūπouvnūpata, in publicos commentarios, five acta referri juberet:* (115) qui tamen vehementer errarunt. Si quis enim Augustorum vituperia sua ægerrime tulit, is ambitiosissimus fuit Tiberius; longeque diversas, ac vulgo putatum est, altissima hic mente prædictus imperator habuit causas, cum ut ipse sibi crimina affingeret, tum ut ingeri eadem in senatus populi que acta præciperen; quas altera me Disquisitione expositurum, supra jam innui. *Trahimur omnes laudis studio, inquit Cicero, & optimus quisque maxime gloria ducitur.* Ut credere par sit, nil, nisi laudabile, ullum imperatorem, qui quidem sana ac integra mente fuerit, de se in publicis actis commemorari voluisse, quin plerosque & immetitas immodicasque laudes affectasse. Contra ea nec temere negaveris, falsa multa crimina occisorum imperatorum indita Actis ab inimicis successoribus, aliquisque multis, injusta multa sub eorum dominatu perpespis, fuisse. Ut figulus figulum, ita cæsarem cæsar odiſſe consuevit; cum primis quem folio deturbavit, aut a quo diversam imperii administrandi rationem

(115) Dio Cass. lib. LVII. p. 618. D. lin. 2.

onem sibi sequendam duxit. *Loco compa-*  
*ratorum*, ut rhetorum filii amant dicere,  
inprimis Romani delectabantur; seimper-  
que, qui in præsenti rerum potiebantur,  
imperatores suos præteritis atque defunctis  
componebant, præponebant. Quo tramite  
panegyricus plinianus tantum non ubique  
decurrens Trajanum, ut *optimum*, non modo  
*malis*, & præcipue *pessimo*, Domitiano, sed &  
*bonis* cæteris confert, præfert. Morem  
hunc, vero consentaneum est, in eorum  
quoque Acta immigrasse. „Si universas,,  
illas Trajani laudes, quas nec oratione,,  
complecti, nec memoria se consequi pos-,  
se Plinius dicit, senatus, ne qua interci-,,  
peret oblivio, & in publica Acta mitten-,,  
das, & incidendas in ære censuit, „ (116)  
an commode id facere potuit, ut non si-  
mul quædam immitteret incideretque, ad  
Domitiani spectantia vituperium? Enim-  
vero nulla æque re laudabilem se præstlit  
Trajanus, quam quod collapsum sub Do-  
mitiano imperium denuo excitavit atque  
instauravit. Apud Tacitum „ (117) petit,,  
a Cæsare Junius Mauricus, ut *commen-*  
*tiorum principalium* potestate senatui,  
faceret, per quos nosceret, quem quis-,,  
que accusandum poposcisset. „ Petuit ve-  
ro,

(116) Plinii Panegyr. cap. LXXV. init. (117) Hi-  
stor. lib. IV. cap. XL. fin.

ro, ut hos, qui sub prioribus principibus fuerant, accusatores & delatores senatus ulcisceretur: unde præmittitur; *signo ultionis in accusatores dato*: atque, factum id sibi, constat. Quando igitur delatores isti in jus vocabantur, omnia flagitia, fraudes omnes, non suas modo, sed & principum, qui ipsorum ministerio usi erant, confiteri cogebantur; quin, ut culpam a se removerent, omnem plerumque in principes illos conjiciebant, nec religioni sibi ducebant, falsissimum in eos testimonium dicere. Senatus autem pro odio suo, quo cæsares tyrannos post eorum adhuc fata prosequebatur, mendacia ipsorum pronis auribus excipiebat, facilique admittebat fide; & tandem, quicquid accusati accusatores enuntiarant, in sua referebat Acta. Num ergo affirmare ausis, nihil falsi in Actis senatus vel de flagitiis principibus repertum fuisse? Pariter certum est, adulatoria illa, quam vivos inter mortuosque imperatores Acta senatus instituerunt, comparatione veritati multis modis vim factam, & bonos aliquando cæsares in malos, in pessimos non omnino malos esse conversos. Aurea enim mediocritas plerumque in ejusmodi contentione posthabetur, tanique in vituperando, quam laudando exceditur modus. Sed fac, vera certaque omnia fu-

fuisse, quæ senatus Actis continerentur, an perlegere ea & excerpere historiæ augustæ conditoribus licuit. Augustus, ut jam percepimus, autor senatui fuit, ne Acta sua publicaret, ejusque secuti sequentes imperatores institutum sunt, ut præter cætera multa ex eo colligere est, quod semper ea conficeret quipiam e senatu, quem vocabant *A cura Actorum*, vel *Ab Actis Senatus*, ne scilicet, observante Lipsio, (118) arcana Patrum sciret, qui non esset e Patribus. Et licet adjunctos ille haberet scribas ac censuales, quos item a re *Auctuarios* appellitabant, tamen, quoties senatusconsultum, quod a tacendo *tacitum* vocabant, faciendum erat, nemini eorum interesse permittebatur. Luculentissime Capitolinus: (119), Hunc, morem apud veteres necessitates publicæ, repererunt, ut, si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humiliare captare consilia, vel aliqua constituere, qua non prius oporteret dici, quam effici, vel si nollet ad amicos aliqua permanare, senatusconsultum tacitum fieret; ita, ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium, scri-

(118) Excurs. ad lib. V. Ann. Taciti. (119) Gordian. tribus cap. XII. fin.

,,scribariunque complerent, ne quid forte pro-  
deretur.,, Tenebantur itaque Acta sena-  
tus curiæ parietibus conclusa, nunquam  
exibant in vulgus, communisque siebant  
juris ac usus. Suetonio tamen, dicens, non  
denegata illorum evolvendorum fuit copia, ut  
pote qui, teste Spartiano, (120) magister e-  
pistolarum sub Adriano fuit, adeoque & custos  
ac claviger tabularii principis sui, in quo Acto-  
rum quoque senatus, si minus autographum,  
at certe apographum assertum videtur. Sed,  
quod bona tua cum iuvenia fiat, ad hanc  
ego objectionem multis posteriori Differ-  
tatione respondebo: necdum enim de  
Suetonii, ut ingenio & moribus, ita mu-  
nere dedita opera agendi locus est. Ac-  
cedit jaclura Actorum tantum non omnium,  
qua abunde, qnam parum instrui ab  
iis historiæ augustæ conditores potuerint,  
evincit. Dio Cassius: (121) „Quum pu-  
blicorum commentariorum quidam o-  
mnino periissent, quidam vetustate jam  
evanidi fierent, tribus senatoribus nego-  
tium eos, qui extarent, describendi,  
reliquosque conquirendi mandatum est:  
„incendio correptis quibusdam non Tibe-  
rius modo, sed Livia etiam succurrit.,,  
Suetonius de Vespafiano: (122) „A rea-  
arum

(120) Adriano cap. XI. (121) Tiberio lib. LVII.  
p. 613 B. (122) cap. VIII, fin.

arum tabularum tria millia , quæ ſimul ,  
cum Capitolio conflagraverant, reſtituen-,,  
da ſuſcepit, undique investigatis exem-,,  
plaribus, instrumentum imperii pulcher-,,  
rium ac vetuſtissimum, quo contine-,,  
bantur pñc ab exordio urbis ſenatus-,,  
consulta , plebiscita de ſocietate & fœ-,,  
dere ac privilegio cuicunque concesſis.,,  
Dilutum foret, ſi quis, ſola populi Acta  
hiſ locis intelligenda , prateenderet. An  
enim, quibus, autore Suetonio, ſenatus-  
consulta continebantur, non ſenatus erant  
Acta? Pariter jejunum ac elumbe eſſet, ad  
vetuſtiora unice ſenatus Acta jaſturam hanc  
reſtrīngere. Quis enim fidem fecerit, re-  
centiora omnia exempta periculo fuiffe? An  
conſignata nulla ſenatus Acta ſub Julio  
Cæſare & Auguſto, quæ amissa Tiberius?  
An nulla porro , imperantibus Tiberio ,  
Caligula, Claudio, Nerone, Galba , O-  
thone, & Vitellio, quæ ſimiſter evanida  
facta Vefpafianus reſtituenda curaverit. At  
iſtas, diſtitando , exſcriptis locis non  
perdiua tantum, ſed & reſtituta Acta perhi-  
beri. Sed quo argumento probaveris,  
reſtituta omnia plene planeque eſſe? De-  
monstra , ſodes, reſtitutionem factam fa-  
tis bona & incorrupta fide, nihilque da-  
tum gratiæ, livori nihil. Siccine noſti ti-  
bi reſtitutores, quos Dio indicavit , Ti-  
berius & Livia, alter vel ex ipſo hoc ſche-  
di-

diasmate, altera, Ulysses ille stolatus? Præter senatus & populi Acta singuli etiam Romani, quotquot industrii fuerunt ac frugi, sua suorumque Acta literis mandarunt. In quibus familiam duxerunt ipsi imperatores, quorum Acta *commentarios principales* loco paulo ante exhibito Tacitus nominat. Ita scripsit Julius Cæsar, ut Suetonii vocibus utar, (123) *rerum suarum Commentarios*, gallici civilisque belli pompejanii. De Domitiano idem Suetonius: (124) *Præter Commentarios & Acta Tiberii Cæsaris nihil lecitabat.* Quid quod nec mulieres, proximo sanguinis vinculo cæsaribus conjunctæ, eo scribendi genere abstinuerunt. Tacitus: (125) *Id ego a scriptoribus annalium non truditum (de Agrippina majore) reperti in commentariis Agrippinæ filiæ; quæ Neronis principis mater vitam suam & casus suorum posteris memoravit.* Sed, cum apud omnes Christi initiatos sacris in confessio fit, nullum sibi relictum gentilem φιλαλήθεαν φιλαυτία duxisse potiorem, an de his solis stauendum fecus est? Cæsar's rerum suarum quod attinet commentarios, Pollio Asinius judicavit, parum eos diligenter, parumque integra veritate compositos esse, quod Cæsar pleraque, & quæ per alios

(123) Jul. Cæs. cap LVI. princip. (124) Domiti-an. cap. XX. (125) Annal. lib. IV. cap. LIII. fin.

lios gesta erant, temere crediderit; &  
quæ per se, *vel consulo*, *vel etiam memoriæ lapsus*, perperam ediderit. (126) Ti-  
berium non amplius morabimur, de quo,  
an toto principatus sui tempore vera un-  
quam de se dixerit, dubitari potest; quin  
scripserit falsa multa de se, non potest.  
De Agrippinæ, matris Neronis conjugæ  
Domitio refert Tranquillus, (127) quod  
omni parte vitæ detestabilis fuerit; occi-  
derit libertum suum, quod potare, quan-  
tum jubebatur, recusarat; in via Appiæ  
vico repente puerum citatis jumentis haud  
ignarus obriverit; Romæ medio foro cui-  
dam equiti romano, liberius jurganti, o-  
culum eruerit; argentarios pretiis rerum  
coëmitarum, & in prætura mercede pal-  
marum fraudaverit aurigarios; porro ma-  
jestatis quoque & adulteriorum, incestique  
cum forore Lepida sub excessu Tiberii re-  
us mutatione temporum evaserit; ac deni-  
que, nato Nerone, inter gratulationes  
amicorum negaverit, quidquam ex se &  
Agrippina, nisi detestabile & malo publi-  
co, nasci potuisse. Quis tam vecors est,  
qui horum omnium vel unum, defendat;  
Suetonium in Agrippinæ invenisse Com-  
mentariis, quibus, autore Tacito, suam  
T. II. P. II. Y non

(126) Sueton. Jul. Cæs. cap. LVI. (127) Nerone  
app. V. & VI.

non modo vitam, sed & *casus suorum* posteris memoravit? Multi insuper alii, qui nulla imperatores cognatione aut affinitate contigerunt, in prescribendis eorum Actis operam suam atque industriam collocarunt. Verum nec horum quisquam fuit, qui non fræna laxaret affectibus suis, &, prout ipse a cæsare habitus fuerat, ita vicissim habens cæsarem, ei vel blandiretur, vel obtrectaret. Vilior tamen semper calumniatorum fuit annona. Maledicentissimus ille Timagenes, de quo in præcedentibus (128) vidimus, & *Acta Auguſti* evulgavit. Seneca: (129) „Historias postea, quas scripferat, recitavit Timagenes, & „combuslit; & libros, *Acta Cæsaris Auguſti* continentis, in ignem posuit.“ Quibus igitur omnibus docili, nec refractario lectori persuasum iri confido, nulla romanorum Acta, sive publica fuerint, sive privata; sive senatus, sive populi; sive de imperatoribus ab ipsis imperatoribus eorumque propinquis & affinibus, sive ab aliis conscripta, indubitatem rerum tenuisse veritatem; adeoque nec usos iis augustæ historiæ conditores testata semper, & gravissimis certissimisque monumentis innixa tradere.

III.

(128) §. IX. init. (129) lib. III. de ira cap. XXII.

III.

JOH. PHIL. CASSELII  
OBSERVATIO ANTIQVARIA

DE

PORCIS IN LVSTRATIONI-  
BVS ET EXPIATIONIBVS,

IN PRIMIS,

HOMICIDARVM, NAVFRAGO-  
RVM ET INSEPVLTORVM.

## ARGVMENTVM:

§. 1. PIACVLVM apud Romanos quid?  
Lustratio cum PORCA quando fa-  
cta? PRÆCIA, PORCVS PRO-  
PVDIANVS, alia. §. 2 PORCI & POR-  
CELLI in expiationibus apud Græcos, qui Λυ-  
ηρια dicti. Porcus ab INITIANDIS immolatus.  
CONCIO & THEATRA porcis expiata &c.  
§. 3. HOMICIDIUM quomodo expiandum?  
Jupiter Παλαινναῖος. HOMICIDÆ lustrandi,  
Jupiter Φυξιος, Ικεσιος. §. 4. Lustratio HO-  
MICIDARVM AQUA VIVA & PORCO CÆ-  
SO. Manus HOMICIDÆ sanguine PORCEL-  
LI ablutæ, alia. §. 5. NAVFRAGORVM  
mors

mors omnium gravissima habita. Capilli præcisi  
 & unguis resecti, præsente naufragio. Nau-  
 fragium in tabula depictum Neptuno suspen-  
 sum naufragi mendicatum ire soliti. §. 6.  
 NAVFRAGI insepulti. INSEPVLTVM abisci  
 summa ignominia. §. 7. Lex Atheniensium pro  
 INSEPVLTIS. Injectio terræ & pulveris.  
 NAVES cadavera & mumiæ ferentes NAV-  
 FRAGIVM facere creditur. JVSTA FACE-  
 RE mortuo quid? PORCA PRÆCIDANEA  
 quando macienda? FERIÆ DENICALES,  
 EXVERRÆ, EVERRIATOR, alia.

## §. I.

**P**IACVLVM apud Romanos com-  
 missum dicebatur, si quid in sa-  
 eris vel prætermissum vel contra  
 morem & præter religionem sa-  
 crum suisset peractum. Lex in Ju-  
 re Pontificio singularis extat apud CICE-  
 RONEM L. II. de Legg. cap. IX. sacrum com-  
 missum, quod neque expiari poterit, publici  
 sacerdotes expianto. Ita, qui ferias impru-  
 dens polluisset, porco piaculum dare debe-  
 bat, quod refert MACROBIVS L. I. Saturn.  
 16. Affirmabant sacerdotes pollui ferias, si in-  
 dictis conceptisque opus aliquod fieret; præter-  
 ea regem sacrorum flaminesque non licebat  
 videre feriis opus fieri; & ideo per præconem

(a)

(a) denuntiabatur, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens multabatur, præter multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non posse. STRUVIUS Antiq. Rom. p. 393. Ita porco expiabantur illi antea, qui munus sacrum peragere volebant, ut fœminæ & ædiles Eleorum sacra Junonia sive Hecata celebraturi, nullam munerum suorum partem attingebant, πεντη η χαιρω τε επιτηδειω προς ναθαρουν και οδατι αποκαθησανται. γυναις δε σφισιν επικενην Πιερα τα ναθαρουν, priusquam se PIA-CVLARI SVE & aqua lustraverint. Eam lustrationem ad Pieram fontem suscipiunt. PAVSANIAS L. V. cap. 17. p. m. 418. Sic etiam gens Claudiæ celebrabat sua privata sacra, & in sacrificio sive expiatione gentis suæ PROPVDIANVM PORCVM offerebat, qui teste FESTO dictus est, ut ait Capito Attejus, quod ille in sacrificio gentis Claudiæ ve-  
lut piamentum & exsolutio omnis contractæ re-  
ligionis sit. In devotionibus suovertaurilibus  
piaculum fieri solitum refert LIVIVS L. VIII.  
10. de Expiatione, quæ porco siebat in lucis

Y 3

con-

(a) Cl. MEVRSIVS in notis vult legi Præciam. Præcias enim secundum FESTVM p. 362. edit. Dac: dicebant, qui à flaminibus præmittebantur, ut denuntiarent opificibus, manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur.

326 Joh. Phil. Casselii Observ. antiq.

*conlucandis* alibi agemus. De Iustificatione  
exercitus per suovetaurilia confer sis disserr.  
*mean de sue in sacrificiis gentilium, spec. Ce-*  
*reris Telluris &c. Magdeb. 1743. cap. 2. p.*  
*29. sq.*

§. 2.

Græci in *Expiationibus porcellis* uteban-  
tur, unde PAVSANIAS l.c. χοιρον dicit ἐπι-  
τηδειον ειναι προς καθαριον porcum idoneum  
esse ad expiationem. De porcorum usu in  
sacrificiis expiatoriis loquitur etiam AE-  
SCHYLUS in *Eumen* p. 283. Καθαριοις ιλα-  
θη χοιρονοις, Purgamentis porcellorum cæ-  
forum ablatum est. Porcellus ille Δυτηριον di-  
cebat, cuius maestati sanguine illinebantur  
manus ejus pro quo expiatio siebat, unde  
Apollo Δυτηριος id est, Expiator, apud EV-  
RIPIDEM dicitur, & τα Δυτηρια apud SO-  
PHOCLEM sunt *sacra expiatoria*. Initi-  
andi consueverunt immolare poreum un-  
de SVIDAS hoc proverbium citat ex A-  
ristophanis *Pace*

Eis χοιριδιον μοι νων δανεισον τρεις δεκα-

χρισ

Δει γαρ μυηθηναι με πριν τεθημεναι

*Qui porcum emam, mihi mutua nunc  
tres drachmas,*

*Initiandus sum prius, ac mortem op-  
petam.*

Græ-

Graci Concionem & Theatrum etiam por-  
cis expiabant, cuiusmodi hostia καθαέμα  
& καθαέσιον, & qui expiabat καθαέρης di-  
cebatur. POLLUX L. VIII. 9. 24. de Peristi-  
archis: Ἐκαθάριον χοιρίδιοις μικροῖς οὐτοὶ τὴν  
ἐκκλησιαν παῖς τὸ θεάτρον. καθαέσιον δὲ τόπος  
παῖς χοιρίδιον ἐκάλειτο. *Expiabant hi porcellis.*  
**CONCIONEM & THEATRVM.** *Vici-*  
*ma autem lustratoria porcellus ille dicebatur.*  
**HESYCHIUS:** καθαέμα το χοιρίδιον, ὡς την ἐστι-  
αν ἐκαθάριον εν ταις ἐντροπίαις. ο δε ἐπίζελων  
δημοσιως περιειρχος ἐλεγενο. **SCHOLIASTES**  
Aristophanis ad Acharn: v. 44. Εἰωθασμοὶ  
Αθηναῖοι σφαζεῖν δὲ λαφαῖ, παῖς γανεῖν τὰς  
καθαέδες τῷ αἷματι αἵτης εἰς λιμνὴν της Δημητρεος,  
ἐπειδὴν τας καθαέδες αἵτης βλαπτεῖ. Solebant A-  
theniensēs porcellos mactare, atque eorum san-  
guine imbuere **SVBSELLIA**; & quidem in ho-  
norem Cereris, quod animal illud frugib[us] da-  
nnum inferret. Et paucis interjectis: το θυ-  
μενον χοιρίδιον. ἐπι καθαέστε τῶν τοπῶν καθαέ-  
μα ἐκάλειτο. *Porcellus ad loca lustranda ma-*  
*catus, καθαέμα vocabatur. conf. Aeschines*  
contra Timarchum Opp. 263. edit: Francof.  
1604. fol. cuius testimonium hoc est,  
Ἐπειδὴν το καθαέσιον περιενεχθῆ, παῖς ο ηγε-  
τας πατέρες εὐχας εὐξεται. Ita quoque  
SVIDAS in παθαέσιον clare. Εθος ήν Αθηναῖοι  
καθαέρης την ἐκκλησιαν, παῖς τα θεάτρα μι-  
κροῖς πανυ χοιρίδιοις, ἀπεις ανομαλούς καθαέσιοι.  
Mos erat Athenis lustrare **CONCIONEM &**  
**THE-**

**THEATRA**, parvis admodum PORCELLIS,  
quæ vocabant *nadapora* piacula. Conf. HAR-  
POCRATION in Lexico X. Oratorum. h. v.  
p. 203. ibique MAVSSACVS & VALESIVS.  
J. P. PFEIFFERI Antiquitt. Græc: L. II. c. 35.  
p. 297. LOMEIERVS de Lustratt. p. 343. Ce-  
leberr. & Amiciss. Consiliarius Gothanus J. C.  
SCHLÆGERVS in diss. eleg. de Atheniensibus  
civitatem suam sanguine humano lustrantibus.  
Helmst. 1739. p. 11. sic etiam ab illis expia-  
tiones porca fiebant, quibus mala somnia  
essent visa; sic MARTIALIS L. VII. Epi-  
gramm. 53. quod totum adscribi meretur, quia  
multa ad expiationem somniorum perti-  
nentia continet & illustrat.

Semper mane mihi de me mera somnia  
narras,  
*Quæ moveant animum, sollicitentque*  
*meum.*  
*Fam prior ad fecem sed & hæc vindemia*  
*venit.*  
*Exorat noctes dum mihi saga tuas.*  
*Consumpsi, salsaque molas, & thuris*  
*acervos:*  
*Decrevere greges, dum cadit agna*  
*frequens,*  
*Non porcus, non cortis aves, non ova*  
*supersunt:*  
*Aut vigila, aut dormi, Nasidiane*  
*tibi.*

§. 3.

§. 3.

Inter peccata in homines commissa prudentiores & moratiores gentes maxime detestati sunt HOMICIDIVM. Cum enim homini in alterum nulluni jus datum, inuste in illius vitam grassari minime oportet: quare & severe semper in homicidas (a) animadversum est. Maxime consueta apud gentes poena erat, homicidas exilio puniri. Homicidium vero temere commissum expiari nunquam poterat, unde Jupiter παλαιμναῖος id est, *homicida*, appellabatur, quod cæde inquinatos & consceleratos poenis subderet. APOLLONIUS Argon. L. IV. 7<sup>o</sup>9. nominat.

Ζῆντες παλαιμναῖον τύμπορον ἵστησιν  
Ζοτεμ παρριδιαλιμū vindicem suppli-  
ciorum.

HARPOCRATION l.c.p. 272, ΠΑΔΑΜΝΑΙΟΣ,  
Τπεριδης ἐν τῷ κατὰ Δημαδ. Αυτοχείρια τι-  
νας ἀνελοῦθε, πάρε την παλαιμην παλαιμναῖος  
ἐκάλεν, ὡς καὶ Αντικλείδης, ἐν εἰζηγητικῷ  
ὑποσημανεῖ. Παλαιμναῖος, *sicarius*, cæde  
contaminatus. Hyperides oratione in Dema-

Y 5

dem

(a) Multa huc pertinentia collecta leguntur in Rev. WAGNERI diss. erud: de Homicida involunta-  
rio exulante in urbe refugii, usque ad mortem Pon-  
tificis M. Bremæ 1731. preside S. Rever. C. IKENIO  
habita.

dem. *Qui suis ipsi manibus quosdam interficiunt, a voce παλαμη vocabant παλαμναις, ut Anticlides in exegetico significat.* παλαμναιοι etiam illi vocabantur, qui ob eadem impie admissam, nunquam expiari poterant. PHVRNVTVS cap. IX. p. 152. Hinc Dii vel Dæmones παλαμναιοι sunt ultores scelerum, de quibus, ut & de notione hujus vocis docte differuit ILL. SPANHEMIVS, P. II. des Cesars de l'Empereur Julien. p. 142. Plures ejusmodi Dæmonium denominationes habet JVL. POLLVX L. V. cap. 26. segm. 131. οι δε δαιμones οι μεν λυοντες τας αρας, αλεξιπποι λεγονται, αποπομπαιοι, αποτροπαιοι, λυστοι, Φυξιοι; οι δε κηρυξεις, αλιτηριοι, αλιτηριωδεις, προστρεπαιοι, παλαμναιοι. Dæmones porro diris liberantes, malorum depulsores vocantur, aversores, solutores, & fugatores. Qui autem inferunt, exitiales, pestilentes, malitiosi, & homicide. Homines humano sanguine polluti à sacris gentium etiam arcebantur, ut contigit Sybaritis, qui ob occisum citharoedum ab Apolline Delphico repulsi sunt, apud AElianum Var. Hist. L. III. c. 43.

Ειν' απ' εμων τριποδων, επι τοι Φονος  
αμφι χερεσσι  
πελης αποστων απο λαινω βδος ε-  
ρυκει.

Ced:

de Porcis in Lustrat. & Expiat, &c. 331

*Cede meis mensis, manibus nam sanguis  
adhærens  
Destillansque recens prohibet tibi limi-  
na templi, &c.*

J. P. PFEIFFERI *Ant. Gr.* L. I. 39. p. 89. sic etiam Pausanias dux Graciæ, cum Cleonicen interfecisset, cædis piaculum eluere non potuit, & peccati remissionem impetrare, quamvis Jovi Φυξιος absolutori deprecationes susceperebat, etiam in Arcadiam ad lustratores eos, qui *Psychagogi* (id est animarum curatores) appellantur, venisset. PAVSANIAS *Lacon:* cap. XVII. p. 252. Jupiter ille Φυξιος dicebatur, ad quem cædis rei configiebant, ad expiationem victimis cæsis impetrandam, ut apud POLLVCEM l. c. & Φυξιος ὄντος apud APOLLON: L. IV. *Argon:* v. appellatur cædes, ob quam ad Jovem configiebant homicidæ

*Ος μεγα μεν κοτει, μεγα δ' ανδροφο-  
νοισιν αρηγει.  
Qui cædis punitque reos, relevatque  
vicissim.*

ubi poëta priori parte versus Jovem παλαι-  
μνειον, posteriori Φυξιον describit. Item  
ικεσιος, & ικετησιος supplicum custos, de quo  
differuit Joh. Frid. LEISNERVS in diss. Epis-  
tol: de Jove supplicum propugnatore. Lips:  
1738

1738. Lustrari ergo debebant homicidæ, quoniam manus polluisse censebantur. CELEB. ELSNERVS *Clasis philologicæ in Academia illustri Regia Berolinensi Director dignissimus & omnis rei literariæ summus stator*, in *Observatt. T. I. p. 123. De lustratione & expiatione cædis dolo & clam apud Athenienses patratæ pluribus agit JOH: SELDENVS de synedr. Vett. Ebr. L. III. cap. 6. §. 7. p. 1107.*

## §. 4.

Lustratio hæc homicidarum fieri solebat aqua viva & porco cæso. TERTVLLIANVS de *Baptismo* cap. V. p. 226. de aqua hæc habet: Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, PVRGATRICE AQVA SE EXPIABAT, ubi pluribus de expiatione per aquam apud gentiles egit. ANTICLIDES apud ELIAM SCHEDIVM de *Diis Germanis* p. 537. Εθος γαρ ήν τοις παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν αἱμαζεῖ, ὅταν ἡ Φονὴ αὐθεωπων, ἡ καὶ αἷλας σφαγας ἐποιεῖ, οἰδατε αἰνιανας χειρας ἀπονιπτειν εἰς τὰ μαστιχαὶς καθαρσιν. Erat enim mos antiquorum, qui nunc quoque servatur, ut qui cædem hominum, vel aliorum animalium commisissent, perenni aqua manus abluerent, ad commissi piaculi lustrationem. Conf. & M. D. OMEIS diss. citanda. p. 14. & 19. JER. HOFMANNI diss. de ritibus

bus veterum gentilium lustrandi purgandique per aquas. Witteb. 1660. C. BARTHIVS in Statuum T. III. p. 1172. Illust. SPANHEM. lib. cit. dans les preuves des Remarques. p. 133. Expiationem utramque pluribus descripsit ALEXANDER SARDVS L. II. de moribus ac ritibus gentium cap. 28. in I. G. CLAVSINGHI Fasciculo II. Juris publici Romanorum. p. 722. Expiantur ab illis, ad quos confugint, qui carminibus manes placant, culpam removent, septies pollutos ABLVVNT AQVA VIVA, totidem polluti uestes, PORCVM CÆDVNT, Jovem Hospitalem invocant, precantur, ne pollutos furie agitent, sed iram deponant, famuli ramenta per ædes ferunt. APOLLONIUS RHODIVS meminit ritus, quo porcellus mactabatur à sacerdotibus, ac homicidæ manus sanguine illius porcelli abluebantur. Argonaut. L. IV. 704.

Πρώτα μεν ἀτρεπῆ Λυτηρίον ἦγε Φονοῖς  
Τείναμενη καθυπερέθε στος τέκος ἡς ε-

ἳ μάζοις

Πλημμυρὸν λοχῆς ἐν νῆδνος, ἀμαλή χε-

ρᾶς.

Τεγγενὲς ἐπιμηγγεστα δερην ἀντὶς δε καὶ αἱ-

λοις

Μελισσεν χυτλοιστι

Primum quidem illa immutabilis expi-  
ationem cædis

Producens desuper FOETVM SVIS  
cujus adhuc ubera,  
Tur-

Turgebant recens enixo ex utero , crur  
ore manus  
Tinxit , incidens collum . Rursus au-  
tem & alis  
Placabat lustrationibus.

*ubi SCHOLIA.* Λυτηρίου dicunt, το καθάρισ-  
το λεγει, ὃ ἐστι χοιρίδιον μηρὸν ὅπερ ὁί αὔγνι-  
ζοντες θυσανής , τας κεφας τω αὔγνιζομενς τω  
αἷματι αὐτάς βρέχεσσι. Porci catulus , quo mača-  
to expiantes lustrandi manus ejus sanguine im-  
buunt. DEMOSTHENES contra Aristocra-  
tem p. 438. retert, eum, qui homicidii a-  
liquem accusabat, apud Areopagitas , τα-  
ctis sacrī suovetaurilibus (a) σαντα ἐπι τω  
τομιων καπρω , κατη πρις , κατη ταυρω jusju-  
randūm concipere solitum , sibi , liberis ,  
totiq̄ue familiæ exitium imprecantem , si  
sciens falleret. Eodem modo reus hujus  
calumniæ iusjurandūm dabant , DEMO-  
STHENES contra Neeram vocat hoc ipsum  
ὅμοσαι καθ' ιερων τελειων , ubi suovetaurilia  
intelligit JAC. LYDIVS diff. de Juramento  
cap. IV. §. 8. p. 320. De Expiationibus  
veterum gentilium in homicidio plura  
contulerunt LOMEIERS l. c. cap. 16.  
GV-

(a) JAC. PALMERIVS Exercitt. in Autt. Græcos,  
p. 634. dum locum hunc Demosthenis addueit, Ro-  
manos à Græcis sua Suovetaurilia , ut & plerosque  
Deos suos accepisse vult.

GVIL. BVDEVS *Annotatt. in Pandectas* (b)  
p. 168. CEL. WAGNERVS *diff. cit.* p. 63.  
*M. Dan. OMEISII diff. de Expiationibus apud  
Veteres gentiles usitatis cap. 3. p. 14. Altorf.*  
1700. J. G. LAKEMACHERI *Antiquitt.  
Græc. S. P. III. cap. 3. §. 3. p. 465. sq.*

§. 5.

MORS in UNDIS (a) gentilibus olim  
præ aliis mortis generibus maxime invisa &  
periculosa habita, quoniam animas vor-  
agine absorptas penitus interire, nec cam-  
pos Elysios intrare credebant, unde  
HESIODVS *Opp. v. 685. testatur:*

Δευον δ' ἐστι θαυμα μέτα νυμασιν.  
Miserum esse MORI in studiis.

Ovi-

(b) Edit. 1534. 8. oterā & expensa Conr. Resch.  
Basil. in ædibus Th. Wolfii. Editio hæc probe di-  
stinguenda ab ejusdem Budii *Annotatt. in XXIV.*  
*Pandectarum libros, ad Job. Degancium Cancella-*  
*rium Francie. Paris. 1508. ex officina Ascensi.* &  
*ibid. 1543. fol. plane enim diversi sunt libri: prio-*  
*ris editionis in 8. non meminit Cl. MAITTAIRE*  
*in Annal. Typogr. ad a. c. & tantum commentarius*  
*est in librum 47. Digestorum. Vid. THÉOPH.*  
*SINCERI Biblioth. Histor. Crit. Libr. Rar. p. 416.*

(a) Conf. C. L. CHARISII *diff. de Morte submer-*  
*forum in aquis. Regioni. 1735. THOMASII Exer-*  
*cit. de Morte in undis. Lips. 1667.*

Ovidius mortem non verens, imminens  
tamen (b) naufragii periculum metuebat.  
*Trist. L. I. El. 2. 51.*

*Nec letum timeo: genus est miserabile  
leti*  
*Demite NAVFRAGIVM, mors mi-  
hi munus erit.*

& ibidem versu 55.

*Est aliquid mandata suis sperare sepul-  
chra*  
*Et non AEQVOREIS PISCIBVS ES-  
SE CIBVM.*

VEGETIUS L. IV. rei Militaris c. 44. *Alii  
ferro interimuntur, alii ardere coguntur in flu-  
ctibus, inter tanta tamen mortuum genera, qui  
acerrimus casus est, ABSVMENDA PISCI-  
BVS, INSEPVLT A sunt corpora. Plura  
cir<sup>a</sup>*

(b) Naufragio præsente olim capilli præcisi, &  
ungues refecti. DILHERRI *Electa* L. II. c. XI. de  
CORDOVA *Didasculia Multiplex*. p. 235. Autores  
à Cl. JARKIO citati ad *Schedium de D. G.* p. 695.  
& CHR. WEISIO diss. 2da de *Numismatibus Vialibus*  
p. 11. adde Jos. LAVENTIUM *Polym.* L. II. diss.  
6. p. 98. T. GVTBERLETHVM in diss. philol. de  
*Mysteriis Deorum Cabiriorum* p. 69. Franeq. 1703.  
8. J. Frid. JOACHIMI *Comment. histor. Jurid. de  
Manumissione in S. S. Ecclesiis.* p. 16. Hala. 1737.  
PITISCVM in *Lexico Antiquit. Roman.* voce *Nau-  
fragus.*

• circa Naufragorum (c) mortem addere nolo; in causas, cur illud mortis genus gentibus tam formidolosum fuerit, inquisiverunt OBSERVATIONES MISCELL. HALENSES T. VII. p. 114. PETITVS Observ. vatt. Miscell. p. 201. 204. conf. LOMEIERVS l. c. cap. 29. p. 354. STEPH. MORINVS in Dissertt. p. 205. C. F. GARMANNVS de Miraculis mortuorum. p. 762. Rationem ex Philosophia Stoica reddit. Illustris BOEHMERVS in disput. de Discrim. Tempeſt. mar. cap. I. §. 7. Halæ.

§. 6.

Accedebat etiam, quod illi, qui naufragio vel in aquis periissent, non sepelirentur, & corpora illorum insepulta manerent, quorum animæ terris oberrare  
T. II. P. II. Z cre-

(c) Naufragi tabulas, in quibus Naufragium & pericula illius depicta erant, Neptuno suspendere solebant, & templorum mūris affigere. G. de CHOVL Relig. Vett. Ronian. CONRINGII diff. de Incubatione in fānis Deorum §. 32. BRISSONIVS de form. p. 96. STRV VII Antiquitt. p. 240. EV. OTTO celeberinus ICTus & patriæ Brema Syndicus; de Diis Vial. p. 215. vel tabulas humeris ferre, & inendicatum ire, GRANGÆVS ad Juvenal. p. 378. DILHERI Disputt. Acad. T. I. p. 722. PHÆDRVS L. IV. fab. 21. 24. ibique Comment. THOMASIVS de Donar. cap. 25. P. KVNZII Sacra & profana Anathematum historia. p. 20. diff. Jena, 1729.

credebantur, & vel centum annos vagari  
 (d) priusquam in beatas sedes intromitterentur, quod pluribus evicit HENR. SPONDANVS in *Cœmteriis Sacris*. p. 110. vid. Clar. WALCHIVS in *Laetant.* p. 164. JOH. MEURSIVS ad *Lycophr. Cæsandr.* vers. 367. p. 63. Imo inhumatum abjici summa ignominia olim putabatur, quoniam tantum pestimi homines (e) & infames, sacrilegi, proditores & alii sepultura indigni habitu semper fuerunt: vid. C. L. HOHEISEL *Observ. Philol. Exeget: in Jesaiam* p. 115. GEIERSV de *luctu Hebr.* p. 126. GRONOVIUS de morte *Judæ cap. ult.* E. SCHEDIVS de *Düs Germ.* p. 431 PRADO *Pentec. cap. XVII.* p. 109. PFEIFFERI *Antiq. Gr. L. IV. c. 62.* p. 769. TIMMERMANNI *Analecta Miscellan.* p. 277. MASSON *Hist. Crit. de la Republ. des Lettres T. III.* p. 175. KIRCHMANNVS de funeribus in *append. capp. 7. & 8.* H. SPONDANI *Coemet. S. p. 380. 387.* CLAR. C. L. SCHLICHTERVS in *Decimus S. p. 31. sq.* C. BARTHIVS ad *Statuum. T. III.* p. 1472. LOMEIERVS l. c. p. 354.

§. 7.

(d) Quemadmodum etiam animas *impatorum* vel *biothanatorum* ad sepulchra oberrare credebant: ELMENHORSTIVS in *Apulejum* p. 348. & CELEB. ELSNERVS T. I. *Observatt. S. p. 47.*

(e) Infepulti etiam abjecti, qui in bello in tergo vulnerati erant mortui. JOH. MEVRSH *Miscell. Lacon. L. II. c. 1.*

§. 7.

Quare apud Athenienses lex hæc lata fuit, ὃς ἀν αταφῷ περὶ θυχῆ σωμάτι ἀνθέωπε παῖδες ἐπιβαλλειν ἀτίτι γην θαυμάτειν δε περος δυσμας θλεποντας. καὶ θύσοις δε ἡν φυλατζομενον παρ' αὐτοις. Si quis in insepultum cadaver hominis incidat, saltem ei terram injiciat, & ita sepeliat, ut ad occasum spectet. Hoc etiam servatum est, & custoditum apud ipsos. apud AELIANVM Var. Hist. L. V. 14. conf. KVHNIVS & PERIZONIVS ad h. l. PFEIFFERI Antiquitt. cit. p. 750. SCHEDIVS l. c. p. 683. SALMASIVS ad Jus Atticum p. 563. DEMSTERVS ad Rosini Antiq. L. V. c. 39. Genus ergo sepulturae erat, ut si quis inhumatus non sepeliri posset, saltem prætereuntes plena manu ter terram injicerent, aliquin, si non fecissent, impii illi habebantur, unde ARCHITAS apud HORATIUM L. I. Od 28. dedecus hoc deprecatur, & nautam orat, ne se naufragio mortuum (a) insepultum relinqueret, vers. 23.

Z 2

At

(a) Jam ab antiquo ad nostra usque tempora invanuit opinio, seu supersticio, naves scilicet *cadavera ferentes* in maximum periculum adduci, vel certissimum naufragium facere solere. JAC. PALMERIVS in Exercit. ad Autores Græcos; probare illud annititur ex PAVSANIA p. 311. edit. Sylb. ubi navis ea, in quam Pelopis olla fuerant impo- sita, ad Eubœam naufragio periit. Quamobrem &

*At tu, nauta vagae ne parce malignus  
arenæ*

OSSIBVS & CAPITI INHVMATO  
PARTICULAM dare.

& ii, qui cadavera Ægyptiaca sive Mumias ex Ægypto in Europam deferunt, diligenter cauent, ne nautæ illud comperiant. *Vid. Principis Radzevili Itiner. Epist. 3. p. 228. 229.* qui hujus rei hanc rationem reddi dicit: *Quia Mumie Ethnicorum sint cadavera, in quibus (\*) IDOLA reconduntur, dubium non esse, quin in cure & potestate Daemonum prout & anime ipsorum sint constituta, qui nunquam ab eis, etiam si de loco in locum transferantur, recedere soleant.* *Celeb. J. C. BECMANVS Viadriensis olim Senior in Parallelis Politicis, cap. VI. §. 5. p. 482.* prius, nempe periculum navium referit ad accidentia, posterius sc̄, naufragium tam universale non esse vult, cum dentur exempla, quibus Mumia sine incommodo transportata fuerunt, interim specialiori causæ eventuum horum rationem adscribendam, nec rationem principis Radzevili aspernandam putat. Gentilibus ergo nautis grave admodum erat, quid in hoc anteipiti casu sibi faciendum esset, num in mare mortuos projicerent, an secum deveherent, donec terram attingerent.

(\*) De istiusmodi *imaginulis* æreis in funere medicato reconditis agit PHIL. CAMERARIUS *Opp. Subces. cent. I, cap. XIV. p. 84.* qui eis Venetiis se vidisse testatur. Gemmam, quæ in sculptam habet amphoralem Isidis imaginem, in ejusmodi funere Ægyptio circa ventriculum repostam egregie illustravit *Austumatisimus*, quem iam nominavi SCHLÆGERVS meus; in Com-

5 versū 35.

*Quanquam festinas (non est mora longa).  
licebit*

INJECTO TER PVLVERE curras.

Conf. SPONDANI l. c. p. 115. Multa circa of-  
ficium illud in demortuos infepultos Ve-  
terum loca collegerunt DEMSTERVS ad  
l. c. L. V. 39. KIRCHMANNVS de funeribus  
L. III. c. 21. J. LOMEIERVS de Lustratt. c.  
29. p. 350. SALMASIVS ad Jus Atticum p.  
563. Observabant etiam, ut terra in os  
mortui conjiceretur, quo tantum caput  
illius sepultum videretur, unde CICERO  
L. II. de Legibus: *Priusquam in OS INJECTA  
GLEBA est, locus ille, ubi crematum est cor-  
pus, nihil habet religionis.* Et hæc justa fa-  
cere mortuo Romani vocabant, quod de-  
bebant facere, antequam novas fruges  
gustarent, qui id neglexerat, PORCAM  
PRÆCIDANEAM Cereri mactabat, de qua  
PAVLVS apud FESTVM p. 362. PRÆCI-  
DANEA agna vocabatur, quæ ante alias cœ-  
debatur; nomen PORCA, quæ CERERI ma-  
ctabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset,

Z. 3 id.

mentatione de Nuno Hadriani plumbeo & Gemma  
Isiaca in funere Ægyptii medicato repertis jussu  
Illustriss. Principis CAROLI Brunswicensis ador-  
nata. Helmst. 1742. cap. X. p. 186. sq.

*id est, glebam non (†) objecisset: quod mos erat eis facere prius, quam novas fruges gustarent.* A. GELLIVS Noct. Att. L. IV. 6. VARRO de vita populi Rom. L. III. *Quod humatus non sit, hæredi PORCA PRÆCIDANEA succidenda Telluri & Cereri, aliter familia pura non est.* (a) MARIVS VICTORIVS cap. de Orthogr. *Qui justa defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccaverunt, HIS PORCA CON-*

(†) DEMSTERVS ad Rosini l. c. glebam in os jecisset, mayult legi.

(a) Familia enim funere impura redditæ & polluta, certis quibusdam ceremoniis in feriis Denicalibus purgabatur, de quibus FESTVS p. 117. edit. Dacier. DENICALES FERIÆ celebantur, cum hominis mortui causa, familia purgabatur. Græci enim veruū mortuum dicunt. Genus autem illud Februi, quo funesta familia expiabatur, appellabant Exverras; FESTVS iterum p. 133. de his: EXVERRAE sunt purgatio domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per EVERRIATOREM, certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictæ. EVERRIATOR vero vocatur, qui accepta juro hæreditate JVSTA FACE-RE DEFVNCTO DEBET, quæ si non fecerit, seu quid in ea re turbaverit, suo capite luat, id nomen ductum a verendo. conf. MARTINII & VOS-SII Etymologica. Statas autem non fuisse ferias denicales, sed conferendas in eos dies, quibus nec privatæ ejusdem familiæ, nec ullæ publicæ feriæ fuerint, testatur CICERO l. c. KIRCHMANNVS de funeribus Rom. L. IV. 1. GYRALDVVS male dene-  
cales

CONTRAHITVR, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam novam quasi dampnum mereant de segete capere. PRÆCIDIANIA dicitur, quod ante cæditur, quam frugem capiat. At illa, quæ & in re & in præsente mortuo quem condituri sunt immolatur, quia ex ea capere non possunt, ad quod justa faciant, PRÆSENTANEA vocatur. Altera alteri opponitur, Præsentanea semel immolatur, & in præsentia mortui, precidanea quotannis & in memoriā defuncti. Porca autem contracta dicitur, cum quis anniversarium hoc piaculare sacrum peccato contraxit, ut ipsi quotannis solvere id sit necesse, pontificio Romanorum ritu. TVRNEBII Advers. L. XVII. 20. Distinguendum hic inter mortuum in navi, & in mari projectum, & in mari mortuum sive suffocatum. Antistites Romanorum sacrorum ita de hac re sanxerunt apud CICERONEM L. II. de Legibus 22. Itaque in eo, qui in mari necatus, deinde in mari projectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non extaret, porcam hæredi esse. Contra censet habendas triduum ferias, & porca fæmina

Z 4

pi-

eales à dñe die dictas putat, contrarium ipse FESTVS & CICERO L. II. de Legibus testantur. conf. JAC. GVTHERIVS de Jure Manium L. I. cap. 16. p. 94. sq. & L. II. cap. 7. p. 220. qui itidem à dñe die dictas vult.

piaculum pati, si in mari mortuus esset, eadem præter piaculum & ferias. Vid. CL. DAVISIVS ad h. l. & qui ab eo laudantur. In primo extra porcam heredi esse dicitur, id est, porco non contrahitur, quia familia pura est, nec piaculum debetur. In altero, id est, mortuo in aquis, haerestenebatur, triduum ferias celebrare, & porco famina piaculum pati, quæ omnia ex Pontificio Romanorum jure pluribus illustravit JAC. GVTHERIVS de Jure Manium L. I. c. 9. p. 55. sq. Conf. JOH. MEVRSIVS ad Lycophr. p. 64. LOMEIERVS de Lustrat. cap. 29. p. 349. Adr. TVRNEBII. Opera T. I. p. 161. & Adversaria L. XVII. cap. 20. p. 524.

IV.

FERDINANDI STOSCH  
ADSSERTIO  
INTERPRETATIONIS  
ELSNERIANÆ  
VERBORVM PAVLI,  
PHILIPP. II, 5.  
ADVERSVS  
EXCEPTIONES CL. SCHVL-  
TENS, FIL.

N.B. Compendii gratia, E. nobis designabit cl.  
ELSNERVVM, S. SCHULTENSIUM,  
B. BOSSIVM, H. HELIODORVM, W.  
WOLFIVM.

§. 1.

Cum nuperrime demum ad manus meas perferretur cl. SCHVLTENSII, filii, in PHILIPP. II. §. 11. dissertatio, Lugduni Batav. 1743. edita; & in ea non novam solum sententiam, sed & aliarum omnium, ejusque præcipue, quam S. venerab. ELSNERVS tradidit, quæque adhuc perplacuerat semper, censuram reperiem; hancque adcurato examine denuo recognoscens firmo adhuc talo stare deprehenderem: non potui non, ut ELSNERIANI nominis, at magis veritatis perpetuus cultor, ejusdem modestam defensionem publice in me fuscipere. Quo jam labore ut rite perfungar: ostendam primo, quid in SCHVLTENSIANA explicatione mihi minus conveniens videatur; deinde, quam celeb. ELSNERVS exhibit, ab illius exceptionibus vindicabo; tandemque alia loca, in quibus cl. SCHVLTENSIIUS alios viri doctissimi labores tangit, examinabo. Interspersis ubique necessariis quibusdam in S. operis varias partes, stricturis.

§. 2.

De phraſi ἀπταγμὸν ἵγειδα, quæ primo loco hic in censum venit, his sententiam suam proponit verbis cl. SCHVLTENSIVS,

Z 5

DFG

VS, p. diff. sue 68. §. LXII. Ad formulam ipsam quod adtinet, simplex ac verum illud, quod in ἀρπαγμα vel ἀρπαγμὸν ἕγειθαι, ποτε εἶθαι tantum spectari debet, est id, quod obvium & expositum est, quod ultro sese offert & in sinum illabitur, tanquam suum capere, sine ullo negotio, molestia, labore, vel sudore; iets dat men voor de greep, iets dat men voor 't grypen heeft. Quicquid præterea adjicitur, vel aviditatis, vel impetus subitanei, vel lucrit insperati & rei magnæ facienda, vel letitiæ, implicat magis, quam illustrat. Omnia enim hæcce oriuntur magis ex circumstantiis & relationibus, in quibus phrasis usurpatatur, quam ex ipsa phraseos natura & indole.

## §. 3.

Facile quivis rerum peritus in his agnoscit certam verba tractandi methodum, qua in hebraicis vocabulis hactenus quidam aliis contradictibus delectati fuere, quamque uti auctoribus suis relinquo, ita ad sensum græcorum vocabulorum, præcipue in tanta qua græcæ literæ nunc gaudent, luce, adhiberi nolle, utpote qui ex ipsa potius indole ac scriptorum usu eruendus est atque figendus. At vero, quid apud omnes græce & latine intelligentes, ἀγράσεω rupere, ἀρπαγμὸς rapitus, aliud denotat, quam avide & celeriter ac primo quoque impetu occupandi & capi-

en-

endi actum. αὐτοῖς καὶ μετὰ βίᾳς ἀφύρεσις.  
Vid. BECMAN. de orig. ling. lat. p. 920.  
HEINSIUS ad Ovid. Heroid. ep. 19. BROVKHVS. ad Tibul. L. I. el. 2. 26. TORREN. ad VAL. MAX L. I. c. 5. p. 50. BARTH. ad Stat. & quos non? Det grammaticus, aut, si mavis, theologus aliam, si potest, descriptionem. Et tamen aviditas illa & impetus expectationi & cunctationi inimicus exulare hic debet, V. Cl. sic jubente. Cui vero mortalium, qui considerata ratione utitur, ita persuadebit, ἀπαγμὸν ἵγειδαι idem esse, ac quod ultro sese offert, & insinum illabitur, sine ullo negotio occupare? Quis credere poterit, hoc ipsum esse simplex & verum illud, quod in hac phrasit tantum spectari debeat? Potestne enim raptus concipi absque aviditate & impetu? Et, his sublatis notionibus, nonne ipsa potius simul rei denotata essentiæ tollitur? Quidque adeo aliud agit S. cum e significatione τὸς αἰπάξεως aviditatem, violentiam e. s. p. excludit, quam ut rapere non esse rapere dictaret? Voorzeeker, die iets roovt, moet niet denken, dat hy't voor't grypen heeft; doordien hy anders gelatener zyn, en niet zoo schielyk daarop toevallen zoude. Nunquam id, quod ultro offertur, αἴπαγμα vocant, Græci, sed διδόμενον, & ejusmodi. Qualem in modum, nec inconvenienter cum sensu verborum Pauli apud DION.

HA-

HALIC. L. X. *antiq. Rom. c. 20.* legimus: βασιλικὰς & διώκοντες ἐξστίας, αὐλὰ ναὶ διδούνεται ἀναγνόμενοι. E diverso Jupiter paternum & cœlestis regnum rapuisse dicitur LVCIA N. de sacrificiis c. 14. Nec alienus est ab illustratione SALLVST. de bel. Jug. c. 14. Ecce autem ex improviso Jugurtha, INTOLERANDA AVDACIA scelere atque SUPERBIA SESE EFFERENS, fratre meo, atque eodem propinquuo suo imperfecto, primum regnum ejus sceleris PRAEDAM FECIT. i. e. αἰρπαγμὸν ἐποιησε. Minus itaque convenienter dicitur: Si aviditatis, impetus ac ejusmodi notio accedit, id oriri magis ex circumstantiis & relationibus, in quibus phrasis usurpatur, quam ex ipsa phraseos natura ac indeole? Taceo, simplex illud sermonis, quod hic querit, mox subitanea μεταμορφώσει in figuratam dictiōnē commutatum reperiri. Vid §. LXVIII. p. 74. Quamvis ibi quoque parum sibi constet, ac tropicum & figuratum dicendi genus confundat; & si rem recte spectemus, Elsneriana interpretatio, quam simplicem literae proprietatem preferre dicit, tropicam potius dictiōnē offerat, quam Schultensiana illa simplex.

## §. 4.

At ne injuriam Viro Cl. fortassis facere videar, qui §. LXIII. p. 68. & seq. vel quin-

quinque HELIODORI, & uno GREGORII NAZIANZENI loco se tutatur, ipsa hæc loca sub examen vocare non gravabor: hoc antea in genere monito, quod, quamquam rei occupandæ facilitatem in iis concedere vellem, quod tamen, ut mox docebitur, fieri vix ac ne vix quidem potest; rapimæ tamen significatus, vel ipso vocem hanc in versione retinente, excludi nequeat; sive plus aliquid, quam sola facilitas intelligi debeat. Primus est L. IV. c. 6. p. 169. ed. Francof. 1630. ἐπιλαμβανόμενος ἐν τῆς χλωμίδος, εὗθι, ἔφη δτος, εἰ καὶ οὖν δραμεῖν. Οὐ γὰρ ἀρπαγμα τὸ πράγμας ἢ δὲ ἐνών, καὶ τῶν ἐν μέσῳ τῷ βελομένῳ προκειμενων. ἀλλὰ πόλλης μὲν βελῆς. ὡς πρεπόντως ἀνυδῆναι πόλλης δὲ διασκευῆς ὡς εἰσφαλῶς πραχθῆναι, δεόμενον. Si per ἀρπαγμα solam hic occupatio-  
nis facilitatem H. denotare voluisset: fru-  
stra sane adderetur, & insignis foret tau-  
tologia; & δὲ ἐνών, καὶ τῶν, κ. τ. λ. Quod  
vero cum subjicit, aliud omnino in τῷ &  
γαὶ ἀρπαγμα intellexit, quam facilitatem  
solam occupandi. Atque hinc porro oppo-  
sitio illa facilitatis in ἀρπαγμα & ἐνών, &  
difficultatis in βελῆς ac διασκευῆς δεόμενον,  
nullo fundamento nititur. Manifeste e-  
nim imprudens aviditas atque impetus incon-  
sideratus, animo deliberate ac preparate uen-  
ti opponitur; sensusque est: non rapientis  
instar subito ac impetuose Theagenem Charicleā  
po-

potiri posse; sed consilio ac adparatu ad id opus esse. Imprudentia in agendo opponitur prudentia. Hoc vero an unquam male fit? Ergo & male apostolus superbiam inconsulto ac inconsiderate agentem, circumspecto & prouidenti, opponeret timori, quando monet: μὴ οὐψηλοφεόνη, αλλὰ φοβε. Rom. XI. 20. Deinde, an H. ἀεταγμα hic accepisse credi potest, de re, ut loqui amat S. in finum jam illapsa: cum rapere denum in voluptatem suam Theagenes illam debebat; id, quod τὸ ἔυων quoque ostendit? Ipse hic nondum illapsum esse, probe norat; Quid ergo opus, ut illi diceretur? Absque absurdi merita incusatione fieri id non poterat. Adtendendum tandem est ad antecedens illud σῆθι. Quare Theagenes stare jubebatur, in medio cursu veloci? Non sane, quia non facilis erat res. Tum enim vel maxime cursu opus fuisset. Sed, ne celeriter & cum impetu irrueret. Postremo quoque observatione haud indignum est, in re amatoria, quam & locus iste, & integer HELIODORI, qui superiores amatoriorum scriptores imitatur, liber, loquuntur, voices istas αεταγμα, αεταγμα, rapere, raptus, rapina, saepius adhiberi, violentie & impetus notione nunquam exclusa. Quis celebratos illos, Proserpinæ, Helenæ, aliorumque plurium raptus ignorat? Innumera rei notissimæ possent conquiri exempla. Nobis tamen aliorum tantum reliquias le-

ge-

gere sufficiet. ISOGRAT. paneg. p. 186.  
ed. Wolf. μίας γυναικὸς ἀρπασθεῖσης. ΑΕΛΙ-  
ΑΝ. var. hift. L. XIII. c. 5. ἐρασθῆναι πρώτον  
γενναίων παρδικῶν λέγεται Λαὶ ον, ἀρπάσαντα  
χεισίππον. PROPERT: L. II. eleg. II. 61.

Qualis & Ischomache, Lapithæ  
genus heroinæ  
Centauris medio grata RAPINA  
mero.

Ibid. el. VII. 15.

Tu RAPERE intactas docuisti impu-  
ne Sabinas  
Per Te nunc Romæ quidlibet au-  
det AMOR.

L. IV. el. I. 117.

Victor Oilide, RAPE nunc & DILL-  
GE vatem.

CICERO L. III. Tusc. qu. c. 12.  
Pelope natus, qui quondam a Socero,  
Oenomaō rege, Hippodamiam RAPTV i.  
e, ἀρπαγμῷ, nactus nupsit. add. VIRG. Ge-  
org. IV. 456. §06. 519. Eneid. IV. 195. LIVI-  
VS, OVIDIUS, HORATIVS, CLAVDIA-  
NVS, aliquique plures passim.

§. 5.

Alter locus est L. VIII c. 11. p. 322. ἡ δὲ  
Κυβέλη τὴν ξυντυχίαν ἀγπαγμα καὶ ὥσπερ ἀ-  
γος ἀρχὴν πεισαμένη. Nil aliud, inquit S.

rus

rursum hoc designat, quam præde ultro se intergerentis facillimam occupationem. Vellem V. Cl. non dixisset modo, sed probasset. Nexus vero harum vocum cum antecedentibus satis docet, ἀγραγμα ποιειν, esse hic, rem, præde instar, avide arripiendam ducere. Theageni & Charicleæ, quos abducere studebat Cybele, extra templum habitaculum esse adornandum, ædituus eam docebat. Hanc igitur occasionem, rapinam, rem minime negligendam, sed avidissime ac celerrime captandam; ino ipsum capture suæ initium minime deserendum existimans, suas iisdem ædes offerebat. Facilitatis ergo nulla hic habenda est ratio, sed aviditatis, quæ ratiōnibus propria est.

## §. 6.

Coecus sit oportet, qui S. credit, huic exemplo L. VIII. c. 7. p. 377. jungenti. Connexio hæc est. Desperabundæ de amoriibus Theagenis Arsacæ, Charicleam interficiendi consilium suppeditat Cybele. Tunc ἀγραγμα τὸ πν̄θὲν ἐποίησατο ἡ Αρτέμι. Rapuit, seu arripuit (ut recte interpres) dictum hoc; avide consilium accepit; celeriter eo utendum duxit. Quid, quæso hic fibi vult illa periphrasis: tantum objectum & ultro ingestum arripuit? Sequitur L. IX. c. 17. p. 435. οἱ Πέρσαι δὲ πλέον ἡ πρότερον ἐφέντες τοῖς

τοῖς ὑπόσις ἐπήλαυνον, ἔρμασον τὸ ἐκείνων θρά-  
σα ποιήμενοι, καὶ ὡς αὐτίκα καὶ παρὰ τὴν πρώ-  
την συμβολὴν ἀρπασόμενοι. At, verbum ἀρ-  
πασόμενοι nihil plane aliud, quam ipsum  
violenter occupandi actum designare posse,  
quis non videt; cum additæ voces αὐτίκα  
καὶ π. τ. λ. celeritatem & impetum significant?  
Resiliendum est cum S. ad. L. VII. c. 20. p.  
340. Ex quo vero omnium minime elu-  
cet, quod ipse videre sibi videtur. Iuve-  
nis formosus & florenti astate, rem vene-  
ream debet ἀρπαγμα καὶ ἔρμασον ἡγεμόνα.  
Quid hoc aliud est, quam avide occasio-  
nem ejus sibi datam arripere; cum actu &  
impetu in eandem irruere potius, quam  
frigidum se ac tergiversantem ostendere  
debet?

## §. 7.

Patet ex his, nihil minus in H. locis  
spectari debere, quam facilitatis sensum.  
Omnia potius exempla clarissime loquun-  
tur, de re adhuc & celeriter & avide, & ma-  
gni lucri loco accipienda, non vero, que jam  
in sinum illapsa esset. Nec plus juvat  
GREG. NAZ. apud quem ἀρπαγμα τύχης est,  
id, quod tanquam rapina, aut præda, absque  
ullo merito, a fortuna datur. Quod vero,  
etsi absque labore & facile occupetur, ἀρπά-  
γματος tamen ipsa voce non designatur fa-  
T. II. P. II. A a cili-

cilitas ista; Sed a circumstantiis ac relatione ad sequentia pendet. Cæterum, hic monendum restat, esse præterea alia apud H. loca, e. g. L. II. p. 101. L. VI. p. 277. X. 512, ex quibus eum non aliam, quam reliqui omnes sani homines, *raptus & rapiendi*, notionem habuisse, manifestissimum est, tum vero optasse, ut clariora & diversa ab illis, quæ BOSSIVS, CLERICVS, aliquique exhibent, exempla attulisset.

## §. 8.

Collabitur ergo sententiæ S. fundatum. Quid mirum, si idcirco superstrui illi nihil queat? Frustra itaque etiam theologica illius explicatio est, quam p. 96. §. 6. ita in compendio exhibit. Non cœpit, non occupavit Christus, quod obvium, expositum, & ultiro ipsi in finum erat illatum & illapsum, eo uti noluit. Poterat per omnia pariari deo; poterat plenissimo jure, æquall cum patre gloria perfaci: sed noluit, sed idem illud promereri maluit. Non pauca hic nobis nota occurruunt. Nam I. manifestò tautologica foret Apostoli oratio, quod sermonis vitium tamen a scriptorum sacrorum stylo pii onines longe abesse jubent; cum unum idemque Viro Cl. significet μορφὴ Θεῶν, & τὸ εἶδος ἡσταθεῶν, quod licet statuere videri nolit, quivis tamen haud difficultul-

ficulter animadvertiset qui verba ejus p. 93.  
§. 3. & 95. 5. rite perpendit. Ibi enim μορ-  
φὴ Θεὸς ipse est, dominium Christi supremum,  
universale & independens in omnes creaturas,  
cum eoque connexa gloria; majestas & bea-  
titas vere divina: hic autem τὸ εἶναι τοῦ Θεῶς;  
eidem est honor & cultus divinus, dominio  
independenti & supremo debitus, usus & exer-  
citium supremæ auctoritatis, cultus, honor,  
veneratio, adoratio, gloria & beatitudo immor-  
talis supremam hanc gloriam consequentes.  
Quānam, quāso, inter hāc rite consid-  
ērata, differentia reperiri potest? Proinde  
mire sane diceretur: qui existens in formā  
dei, non rapinam duxit, formam dei. Quis  
II. audivit unquam, rapere aliquem, aut  
rapiendum censere (id enim est ἀπταγμὸν ἡ-  
γεῖθαι), prout vener. E. in Obs. satis docu-  
it, & mox a nobis vindicabitur) quod sinū  
manibusque jam dudum continuuit, & ab æter-  
no possedit? Omnia lexica latina & græca,  
& verbi ipsius natura potius docent, rape-  
re aliquem, id, quod adhuc non habuit, & si-  
bi arrogare, quo adhuc caruit. Aut, ut S.  
explicationi inhæreamus: quis quāso un-  
quam cogitavit, de acquirendā, sive facile,  
sive difficulter, re aliqua, quæ sua jam est? aut  
quis dixit, non in suum sibi illapsum, quod ad  
naturam suam pertinuerat? Quānam idcir-  
co tandem ratione Christus dei poterit,  
non occupandum sibi censuisse omnē illud

A a z

di-

divinum, illud *per omnia pariari deo*, quod ab æterno in eadem cum patre essentia possedit? Quomodo, gloriā naturalem di-  
vinam non putasse absque ullo labore sibi vindicandam, qua jam ante jacta mundi funda-  
menta & porro nunquam fuerat destitutus? Si ea semper gavisus erat, non poterat de  
eius acquisitione, sive absque omni, sive  
multo cum labore, facienda, cogitare.  
Annon igitur hæc sunt *ασύγαχα*, & contra-  
dictionem aliquam involvunt? III. Gloriā  
Iesu Christi mediatoriam, cum gloria illi  
cum patre ab æterno cūmuni, hac rati-  
one confundi, nec ullo modo distingui  
posse, quis non videt; si & hanc prome-  
reri debuit? Quæ vero si non sollicite di-  
stinguantur: etiam patri, mediatoris glo-  
riā cum filio communem esse, conse-  
quens erit necessarium. Denique IV. quo-  
modo terminis, quibus utitur, clarus con-  
ciliari queat sensus non invenio. Quid e-  
nī est, quod servatori *obvium* & *exposi-  
tum* fuerit θεον illud omne, quo nunquam  
caruerat? Quomodo *ultra ipsi offerri* potuit,  
quod essentialiter possidebat? Quomodo  
*in finum ipsi illapsum* concipi potest, quod  
in se ipso habebat, nec aliunde accipere  
poterat? An ergo deo patri illud etiam *ob-  
vium* & *expositum* *ultra in finum illatum* & *il-  
lapsum* dicetur? Non puto.

§. 9.

§. 9.

Quæ cum ita sint: corruere ultro Viri  
Clar. sententiam censeo, contra autem il-  
lam Celeb. summeque Venerandi. ELSNE-  
RI adhuc inconcussam perfstare, propiori  
explicationis ejus vindicatione & confir-  
matione nunc demonstratum dabo. Ex  
iis, quæ supra monui, luce meridiana cla-  
rius est, rectissime illum proprio & genui-  
no rapiendi sensu τὸ ἀπαγὺν ἡγεῖθαι expo-  
suisse. Quare id majori probatione non  
indiget. Iuvat tantum CICERONIS quæ-  
dam verba, *de orat.* III. 40, paullulum im-  
mutata, nostra adhuc facere; quibus,  
aut oppido fallor, aut phrasis Pauli ele-  
ganter illustrabitur: *Non dixit apostolus CA-  
PERE, non PETERE; Significaret enim,  
Chr̄istum putasse, nullam moram s. habere;*  
*sed RAPERE: id enim rectum est, & ad id a-  
ptatum, quod postea dicit εἰατον εὐέωσε. mo-  
randum sibi & exspectandum putavit, usque  
dum exinanitionis gradus at, solvisset. Centu-  
riatur illi QUINTILIANUS, qui declam.  
358. p. 787. ed. Burm. rapere τῷ exspectare  
itidem opponit. Non RAPIENDA, sed  
EXSPECTANDA obseſſio est.*

§. 10.

Sequar jam potius S. eo, qui ipſi  
placuit, ordine; & omnibus ejus  
adversus E. explicatōnē exceptioni-  
bus succinctè respondebo. Monuerat E.

A a 3

Quod

Quod Christus non putaverit, sibi expositam illam gloriam, & sine labore obtineri posse, quodque subito & cum impetu occupandam eam non censuerit, ut secundum Heliod. proponitur hæc sententia, admonere Philippenses quidem poterat toleran*tiæ*, non vero satis admodum data erat ad ταπεινοφροσύνη invitatio. Excipit S. §.67.p.72. eam objectionem fere dirigi in explicationem verbis ENIEDINI conceptam, rei vehementer desideratae potius occasionem avidissime arripere. Recte, nam & hunc notaverat E sed & reliquos, idque magis adhuc ferit, utpote, qui illud solum, quod Christus labori parcere noluerit, ταπεινοφροσύνη exemplar neutiquam proponere possunt. Scopum apostoli non adsecutum cl. BOSSIUM, dixerat E cum Philippenses sine ingenti labore & mole, a nihil consequi posse doceri putat. B. hic aliquid adfini, de quo non cogitaverit, existimat S. cum nusquam adfirmaverit, Philippenses sine ingenti labore & molestia nihil consequi posse. At vero, cum B. Christum non existimantem, se τὸ ἐναγκαῖο θέων sine ullo labore, mole, & modestia consequi posse, Philippensisbus exemplar ab apostolo propositum putat: nonne putare simul debet, eos doceri, sine ingenti labore & molestia nihil eos consequi posse. In hoc, enim ex B. mente, imitatores Christi erant futuri. Hoc fuit, verba sunt B. Φεόντως illud in Christo, quod imitari Philippenses vult Paulus. Jam cum

cum Christus summo duntaxat labore & molestia regnum in ecclesiam consequatus est, & consequi potuit: Philippenses, si quidem Φόρον μετά illud Christi in ipsis fuerit, cogitare debebant, nihil tale se quoque sine ingenti labore consequi posse. Sicque nihil interest, utrum primam aut secundam B. exereitationem habuerit S. Conveniunt utraque, sed secunda expressime hæc docet. Nec aliud egit E. quam quod B. ipse agi volebat.

§. II.

Adlata deinde §. 68. E. ex obs. ipsius explicatione, eam sola vertendi ratione a B. differre, dicit S. consensumque E. & B. ex illius com. germ. ostendere adnititur. Equidem, unquam adeo irmane discrimen, B. inter & suam sententiam venditasse E. ego ignoro. At vero, primo, plus tamen, quam simpliciter vertendi ratione illas differre vident mecum, qui aliquanto altius utramque rimantur: cum (vel ipso S. non insciante) multo plura in unum cogat E. ac quidem B. isque præcipue inhæreat illi, quam proposuerat τῇ αὐταγαγοῦσι significationi, quod absque labore & molestia quis potest consequi; E. vero non item, qui impetus & aviditatis notionem urget; tandemque applicatio ad Philippenses, ex

A a 4

qua

qua ipsius explicationis intentio optime dijudicatur, plane alia fiat ab E. quam a B. Secundo, Discremen sententiæ E. a B. in eo situm est, quod ille putet, si *laboris & molestiae* cogitatio præcedere debeat; uti B. ea primo loco posuit, non fore satis accommodatam ad ταπεινοφροσύνην invitacionem, sed ad patientiam. Nunc vero apostolus ad ταπεινοφροσύνην in antecedentibus invitat & hortatur, nulla *laboris* facta mentione. De Christo quoque refert omnia ad ταπεινοφροσύνην pertinentia ἐαυτὸν ἐκενώσει, μοξφὴν δέλε λαβάων, ἐταπεινωσεν ἐαυτὸν κ.τ.λ. quæ sunt signa & attributa τῆς ταπεινοφροσύνης, nec honorem suum, nec commoda quarentis. Igitur ταπεινοφροσύνη, atque adeo modestissima de se opinio, & utilitatis alienæ cogitatio, primo & præcipuo loco ponenda & scopo apostoli adsignanda erat, non vero *laboris & molestiae*, uti B. contra contextum & scopum apostoli fecit. Quare, tertio, nego etiam, *Elsnerum Basii verba fere sequi*; idque attenti cuiusvis lectoris judicio lubens permitto. In com. adjecit merito E. ad ταπεινοφροσύνην & exinanitionem Christi etiam pertinuisse i[m]molestias pericula & ærumnas; Si omni eam ambitu exponere vellet. Sricte autem ad Philippenses tantum pertinet ταπεινοφροσύνη, demissio & modestia animi, nec sui adeo, quam proximi habenda ratio, ad quam etiam

tiam invitantur. Quo magis mirandum, quod ita plagii E. fere insimulare non dubitet: cum ipsum potius pleraque B. debe-re, manifestum sit; si ea excipias quæ B. recte in *facilitatis & rei expositæ* sensu non subsistens, sed ulterius pergens, addit. Ad quæ adeoque si animum recte advertisset S. nihil habuisse quod miraretur, nihilque impeditivisse, quo minus suam contra WOLFIVM versionem tueretur, pervidisset. Pugna enim illa, quam sibi vide-re videbatur inter E. obs. & com. germ. statim evanuisset.

## §. 12.

WOLFII vero, quoniam eo perven-tum est, umbratiles sunt adversus hanc versionem exceptiones. Partim quædam ab E. in medium adlata loca, quæ quoque non tetigit, omni exceptione majora sunt. Partim nequaquam, ut ipsi videtur, adeo vehementer differunt, ἵγειδαι αἴραγμαν εἶναι, & ἵγειδαι ἀρπαγμα, verbo substantivo non subintellecto. Id, quod aliquid non rapinam esse dicit: id quoque non rapiendum sibi dicit. Partim, quæ supra lustravimus, H. loca, eandem admittunt, imo & requirunt translationem. Sic L. IV. c. 6. & γὰρ ἀρπαγμα τὸ πράγμα, quid im-pedit, quo minus reddatur? non est res,

A a 5

quam

quam rapere potes ac debes. L. VIII. *Cybele arripiendum sibi duxit. e. f. p.* Quibus temperare mihi nequeo, quin, quibus proprius nihil ad E. expicationem accedere potest, SVETONII verba ex *Cæs.* 230. subiectam. *Quidam putant, captum imperii consuetudine Cæsarem, usum occasione RAPIENDÆ DOMINATIONIS, quam ætate prima concupis- set.* Conf. & loca §. 3. adlata, add. CIC. Philip. IV. 4. *QVI SIBI urbem, qui bona & fortunas civium ad PRÆDAM PROPOSUERAT.* Partim denique fatetur ipse WOLFIUS, habituram hanc interpretationem speciem, si Paulus 8. a. 7. τὰ ἵστα τῷ Θεῷ scripsisset. Verum ostendatur jam, quæso, discrimen aliquod reale, inter hæc, compendii gratia ab E. ita repræsentata, & pleniū illud 8. a. 7. τὸ ἔιναι ἵστα Θεῷ;

## §. 13.

Pergo ad §. S. 69. Ubi primo modo remota WOLFII difficultas repetita conspicitur. Deinde scriptis E. contradictionem denuo objectam cuperet, quod in *obs. αἰπαγμον*, rapiendum reddat; in *notis* vero ad *com. germ. actionem rapiendi spectandam* velit. Nimirum legitur in his p. 504. *Raub heißt das Werk und die Täht des Raubes.* Aest amice potius hæc conspirare & eadem esse, quis germanicam callens linguam non videt?

det? Wer davor hält, dasz die Takt des Raubes ihm nicht zukomme, der hält ja auch davor, dasz er es nicht rauben müsse. Quæ autem eadem sunt, ea jure (sic enim philosophi definiunt) *sibi invicem substituuntur*. Non multo majoris momenti est dubium, quod porro necit S. ita ratiocinans: *Si Christo ante exaltationem jus fuit, sine superbia & vana uerboſia preferendi τ. ε. i. Θ. sequitur, non nisi dilutissime adhaereri posse proprio RAPIENDI, sive actionis violentiae sensui.* Rege-ro I. Christo in confilio pacis aeterno, tanquam sponsori considerato, omnino jus illud tribui non posse: cum, qui aliquid faciendum suscipit, quod cum alia re consistere nequit, hujus jus aliquod neutiquam habere queat. At vero, præferre ante exaltationem τ. ε. i. Θ. sublisterem cum mune-re mediatory, quod Christus suscepere, non potest. Quare etiam non aliter, egit dominus noster, ac egit. II. Manifeste S. sua ὑποθέσαι διλέγεται, & ex ea adversus E. disputare: cum τ. ε. i. Θ. ab exaltatione distinguat, quæ vir doctiss. eadem esse contendit; & minime gentium ergo ejus argumentationem stringere. III. Consequentiā tamen præterea falsam esse: cum & id, cuius jus quispiam habet, *avide, celeriter, & cum impeto ac violentia, sibi rapiendum, idem, variis inductus rationibus,*

cen-

censere queat. Fideles omnes jus habent regni cœlorum. Sed βιασαὶ αἰγάλεον αὐτὸν. MATTH. XI. 12.

## §. 14.

Quibus ad æquam judicij lancem expensis, exemplum Tarquinii superbi ab E. aliis adnexum, egregie plane convenire, fateri cogetur S. aut omnis a contrario deducta illustratio penitus ipsi erit contemnenda, (similia exempla §. 3. adtulimus.) Nec denique virgula censoria notanda ipsi erat, illa ad Herculem Thasium adlusio, qua apostolus E. usus fuisse videtur. Ne enim dicam, minus recte eum lectori persuadere querere *ad expositionem suam fulcendam*, eam ab E. excogitatam; id, quod vel solus ille, quem occupat, locus, ipsaque viri celeb verba, quibus ut conjectura tantum res proponitur (*es kan seyn*) aliter docent. Ne porro, viros complures alios doctissimos, primique nominis theologos, adlusionem in nostro loco reprehisse, urgeam. Ne denique constantem ipsius apostoli morem objiciam, qui unanimi eruditorum, quos sua auctoritate, ut in aliam rapiat sententiam S. vehementer vereor, consensu, ad mores ritusque eorum, ad quos scribit, populorum, tantum non ubivis respicit, & utilisime ad-

lu-

Iudit. Quid, quæso, incongrui in eadem videt? Nonne aptissime quævis tibi invicem opponuntur? An ulla verbis rebusque violentia ineft? Et, an ipsi ullo jure id potest denegari commodi, quod opposita juxta se posita evidentiora, ipsamque adeo apostoli mentenī clariorem reddat?

## §. 15.

Quæ adhuc disputavimus, illa, quæ ELSNERIANÆ interpretationi propria sunt, potissimum tangunt. Supersunt quædam huic cum aliis communia, ac S. non minus notata, & disquisitioni nostræ subjicienda. Et primo quidem displicet illi, quam E. suam quoque fecit, & novis exemplis confirmavit, μωφῆς Θεος, per formam interiorem, seu naturam dei, interpretatio; nec validis illam argumentis probatam autumāt. Videamus rem. Provocant primo loco hujus interpretationis patroni ad *notionis antiquitatem*. Quid ad hoc S? Quasi risu excipiendum, dicens, querit? Ecquid antiquitas notionis *huc facit*? Querenti tamen respondendum est. Antiquitas igitur notionis, hic, ut alibi semper, necessaria est, ne pro ingenio cuivis suo vocum significations effingere integrum sit, verum ex veterum scriptorum usu eadem determinentur (Resp. §. 3) Si hujus nulla esset habenda ratio, ulla nun-

nunquam certa foret ac firma explicatio; & oleam omnem ac operam perderent, qui N. F. dictioni ex antiquorum scriptis lucem adfundere satagunt. Id, quod tamen non concedet vir cl. qui, ut vidimus, alibi idem facere studuit. Neque vero ceterum patrum tantum, sed aliorum quoque, (vel ipso monente) scriptorum auctoritate, a doctiss. E. illam interpretationem fultam habemus. Dicimatur pro ea altero loco, ex eo, quod plenior sit ac deo convenientior. Excipit S. Ergo dicendum etiam esse, majestatem, gloriam, ceteraque vocabula, quibus attributa dei ratione ab essentia & natura ejus distincta designamus, naturam & essentiam dei designare. At, non vallet consequentia. Hac enim & similia in & deo concipi possunt ac intelligi; nulla vero μορφὴ propriæ dicta, ut & ipse, parum sibi ipsi amicus, in notis fatetur. Quæ tertio adseritur philosophorum regula: *neminem subsistere in suis accidentibus*: eam non adeo apte hic locum invenire, ponam. Quāvis quoque non defint, quæ adversus S. demonstrationem, adductumque exemplum excipi queant. Ex quibus id tantummodo in medium protraham, quod ea, quæ in sermone quodam supponuntur ab eodem tamen penitus etiam removeri nequeant; sed illi aliqua ratione semper insint ac inhæreant. Discri-

men;

men, quarto; inter τ. ε. ι. θ. & μ. Θ tolli dicitur, nisi hoc posterius naturam dei designet. Manere illud, regerit S. sed non probat. Statim tamen pluribus id videbimus. Formam servi denique oppositam formæ dei, naturam quoque internam designare, sicque & hanc non aliter explicandam, observatur. Et hoc quidem S. non recte proposuit, formam internam servi & naturam humanam pro iisdem habens. Unde nihil est, quod dicit: Si vicissim forma servi, naturam humanam non significet, nec forma dei naturam significabit divinam. Loco naturæ humanæ, debuisset sustituere naturam servilem. Vid. Rev. ELSNERI com. p. 508. V. TILL p. 66. & PAGENSTECHERI orat. de hac phraſi. Tum vero agnoscendum ipſi est, recte omnino oppositionem urgeri. Si enim μορφὴ δέλε est natura servilis, seu, omne id, quod servum vere constituit: μορφὴ quoque Θεὸς erit natura divina, seu, omne id, quod essentiam dei constituit. Aut, an plane in Pauli sermone, eum μορφὴ significatum, qua formem internam, vel naturam designat, excludere vellet? Tum autem caveat, ne antiquo Manetis errori, de quo Praſt. BELLOROBRIVS T. I. p. 112, nimis evadat ad finis. Nec maneret differentia inter μορφὴν & σχῆμα; et si ille p. 76. §. 72. aliam, sed quam probare nequit, differentiam ponat. Cæterum illa, quam

vix

vir cl. §. 34. p. 52. suam facit, PISCATORIS expositio, per statum, seu conditionem divinam, ut paucis multa comprehendam, his duabus insignibus laborat difficultatibus. Altera, quod hic vocabuli usus non comprobatus sit, nec comprobari queat. Altera, quod, ut §. 8. supra evicimus, re vera, inter statum istum ac conditionem divinam, qualis ab eo describitur, ac inter r. e. i. o. nulla vera quedam reliqua maneat diversitas. Quid, quod in hujus explicazione, vehementer incertus sit, & secum ipse pugnet; dum p. 93. §. 3. dicit: *hanc formam dei POSSESTIT non modo post, sed et ANTE EXALTATIONEM.* Contrarium vero docet p. 96. §. 6. *Noluit auctoritate et gloria sua uti. ABDICAVIT & ABNEGAVIT POSSESSIONEM.* Aperte haec pugnant: possessionem habuisse ante exaltationem; & possessionem eandem toto illo tempore abdicasse. Paulus etiam aperte negat, habuisse Christum ante exaltationem magnificentiam divinam sed εὐεγνωτε dicit; *formam servi accepti* vita terrestris tempore.

## §. 16.

Succedit consideratio harum ipsarum vocum: τὸ εἶναι θόα θεῶν. Statuit cum B. E. iisdem statum exaltationis Christi ad dextram patris, idemque adeo cum ὑπερψώτῃ deinde me-

memorata, & veneratione divina , ab u-  
niversis creaturis , angelis quoque exhi-  
benda , designari. Rejicit hanc sententi-  
am §. 55. p. 65. S. *hæcque omnino a se invi-*  
*cem disprepare dicit.* At, bene se res ha-  
bet. Dicit enim tantum , sed nullo mo-  
do probat, non magis atque alia quæ te-  
tigimus. En ipsa ejus verba: *t. s. i. θ.* *Ἐ*  
*ὑπερψυχωσις differunt, Prius est gloria Christi*  
*naturalis, quam habuit tanquam Θεάνθρωπο*  
*ε filius dei. Posterior est gloria Christi ad-*  
*quisita, quam habuit tanquam Θεάνθρωπο*  
*ε filius dei mediator deum inter ε homines,*  
*quamque posita ε abdicata gloria naturali ul-*  
*tro ε sponte promereri voluit.* In quibus cum  
*t. s. i. θ.* esse gloriam christi naturalem adfir-  
mat: non animadvertisit, sic iterum cum  
*μορφῇ Θεῷ istud confundi. Quando, glori-*  
*am hanc naturalem Christum habuisse tanquam*  
*Θεάνθρωπον, contendit: non pensitavit,*  
Christum non dici posse voluisse hanc pro-  
mereri, quod tamen verba *s. a. n.* claris-  
sime indicant. Quando denique ei , *quod*  
*Christus habuerit hanc gloriam naturalem, tan-*  
*quam. Θεάνθρωπο*, mox subjicit, eum hanc  
eandem posuisse ε abdicasse , sibi invicem re-  
pugnantia se docere, non cogitavit. De-  
buisset autem quoque hanc suam insi-  
nuaturus sententiam, eorum, quibus al-  
tera nititur, argumentorum, viam infrin-  
gere. Quod vero, quia solidiora sunt  
T. II. P. II.                    B b                    (v.

(v. doct. ELSNER. p. 502.) fieri non poterat. Sicque prudenter sicco pede ipsi transibantur. Illud autem fundamentum, quod BOSSIANÆ ibidem subjicit, verum non est. Siquidem vana est, quam necit, consequentia: *Si Christus non putavit gloriari mediatoriam sine ullo labore & molestia occupandam: Sequitur, eum id hæc ratione, & consequenter absque pretio animæ suæ potuisse facere.* Non enim hæc erat causa, quare dominus noster id non ita faciendum putaret: Sed, quod rei necessitatem simul ac æquitatem summam, cognitam habet atque perspectam.

## §. 17.

Atque ita phrasí genuino suo sensu restituta, antequam plane eandem relinquimus, aliquid monendum restat, de contradictione, ac animadversione in B. quam E. in ejus enucleatione versanti, S. §. 46. p. 60. iterum objicere, non dubitavit. Nimirum, quod ad prius adtinet; *E. in obs. suis distinctionem summi COCCEJI inter ῥωθεῶν & ῥωθεῶν probasse, in notis autem ad com. germ. eundem rejecisse adfirmat.* Sed nimirum fuit hic oculorum ejus acumen. Dicit quidem E. in not. ad comment. p. 501. COCCEJVM absque fundamento (ohne Grund) hanc distinctionem fecisse. Hæc autem si

si cum iis quæ in obs. dixerat vir doctiss. conferantur: nihil aliud poterit intelligi, quam *Coccejum solidō adserūtū suū fundamento non superstruxisse.* Reče quidem distinxisse; sed sufficientem omisissē probationem. Hoccine vero est rejicere? Hoccine sibi contradicere? Ast, ita quidem fieri facile adsolet, ubi quis nimio contradicendi studio se abripi finit! De altero; non assecutus est ELSNERI mentem, SCHVLTENSIVS. Non enim ille, prout hic rem proponit; *atticos pro adverbīis adjectīva neutra adhibere dicit: sed, pro adverbīis & adjectīvis,* ejusmodi, quale est in textu ἵσα, neutrī uti. Quod ergo E. nolit c. B. καὶ ἵσα μέγην phrasin supplendam: ex eo fit fundamento; quod hæc ellipsis ex trito Atticorum usū supervacanea sit. Liceat autem uni illi, quem adscripsit E. HELIODORI loco alia quædam subjicere. Sic L. I. c. 9. p. 16. ἵσα καὶ πᾶδα ὄραν ἐπλάττετο. II. 22. 96. ἵσα καὶ πατέρα ἦγον. III. 4. 135. ἵσα καὶ αἴθανασιαν ἦγον. ib. II. 147. ἵσα τε παῖδες ποιῶμεν V. 20. 235. πᾶδας δὲ τοὺς σους ἵσα καὶ παῖδες ὄραν τοῖς ἔμοις. ib. 33. 259. τὸν μὲν ἵσα καὶ νεκρῷ περονεύμενον.

§. 18.

Vltimo tandem loco; ne aliquid SCHVLTENSIANARVM censurarum præ-  
B b 2 ter-

termittam; simulque disputandi finem faciam: vel verbo tangenda sunt ea, quæ §. L. p. 63. adversus ELSNERIANAM sententiæ WOLFI refutationem excipit. Non posse τὸ εἰδώλον την τινα θεόν τε καὶ βασιλέα exponi: non ambitiose defendit aequalitatem cum deo, contendit ex eo E. quod Christus non potuerit non iurare gloriam divinitatis tueri; quodque citra absurditatem de deo patre dici nequeat, eum gloriam ac majestatem suam pertinacius retinuisse, quia is semet haud inanierit. Sed non puto, subjicit S. quenquam ad Christi deitatem hoc sensu locutionem retulisse. Scilicet ita putavat, sed, contrarium vidisset; si ea, quæ W. habet, modo attente legisset. Referatur vero etiam phrasis eo sensu, si W. & S. placeat, non ad deitatem Christi, sed ad Christum Θεάνθεωπον (ad humanam enim naturam a nemine omnino refertur) nonne idem, quod E. indicavit, absurdum, manifeste in eadem remanere deprehenditur?

## §. 19.

Nihil ad id, quod mihi sumsi, negotium conficiendum superesse puto; quam, ut paucis ELSNERIANÆ sententiæ, quamvis satis semet ipsa commendet, excellentiā commonistrem. Ad veram, solidam, ac eleganteā textus interpretationem

nem si primo requiritur, ut vocum, quem statuimus, significatus, aliunde rite demonstretur: gaudet omnia hac virtute ELSNERIANA, pro qua dimicavimus. Et enim μορφὴ Θεὸς naturam divinam denotare, ac τὸ αὐτὸν esse, cum impetu & aviditate occupare, supra adseratum fuit ac vindicatum; τ. ε. i. θ. autem gloriam mediatoriam jure dici posse, quis, hujus naturam intelligens, illiusque variam in S. L. descriptionem perpendens, ambigere poterit? Si porro, ut cum reliqua orationis nexus, scopoque arte cohāreat, apteque conveniat, necesse est: etiam hoc minime in ista desideratur. Non enim poterat meliori, aut moventiori modo apostolus Christum Philippenibus, in ταπεινοφροσύνῃ exemplar, ante oculos collocare: quam verum deum, hominibus, exilibus creaturis; patientiam ac submissionem, contentioni ac inni glorie cupidini; privato lucro, voluntariam cessionem opponendo. Vidimus quoque oppositum μορφὴ δέλτη requirere, ut μορφὴ Θεὸς per naturam dei explicetur. Eadem est in reliquorum oppositione vis: ἐαυτὸν ἐκένωσε exinanivit se, ad illud, quod necesse erat, tempus, docet ἀρπαγμὸν ἡγεδονή, dicere idem, ac celeriter & impetuose occupare. Quod Christum deus dicatur PROPTER-EA exaltasse, quod rapere noluerit τ. ε. i. θ. ostendit, hoc ipsum esse exaltationem illam,

B b 3      quam

quam præmium muneris sui mediatorii in terra peracti accepit. Christus, *deus gloriſſimus, homo viliſſimus factus*. Christus non avide rapiendum duxit; sed moratus exinanivit ſe: Christus non rapuit gloriam mediatoriam; propterea *præmii loco eam accepit*. Quam pulcre denique convenit cum iis, quibus integrum pericopam obſignat PAVLVS, omniumque antecedentium supremum scopum ostendit, verbis: *εἰς δόξαν τὰ πατρὸς*. Non rapiendam ſibi duxit Christus gloriam illam mediatoriam, utpote post exinanitionem *præmii loco ſibi dandam a patre*; ut *is glorificaretur per ſe, omnia fierent εἰς αὐτὸν, & effet omnia in omnibus*. Si deinde cum analogia scripturarum convenire debet vera & bona explicatio: convenit ELSNERIANA nulla melius. Verum deum esse Christum, clamant ubique sacræ paginæ. Non rapuisse gloriam mediatoriam, docet ipſius adventus in mundum. Eadem ſimilem eum deo factum, vel ipſa apostoli verba v. 9. 10. 11. manifestissime demonstrant. Quid plura ab ipſo E. evidenter demonstrata repetam? Addam modo unicum locum noſtro ex aſfe parallelum. Joh. VIII. 50. ἐγώ δὲ ἐγένητο τὸν δόξαν μή. ἐτινὸν οὐ ζητῶν καὶ κρίνων. Christus ἐγένετο (ἢ ἀρπαγμὸν ἡγήσατο) τὸν δόξαν, (τὸ εἶναι Ἰησοῦ) fed novit, deum patrem illam ζητῶν καὶ κρίνεν. (ὑπερεύψωσεν αὐτὸν.) Si denique ele-

elegans interpretatio ipsam dictionis puritatem, concinnitatem, decus, ὕψος & πάθος conservat: conservat hæc ea omnia vel maxime. Puritatem; ex atticis enim optimisque auctoribus confirmata sunt vocum significations. Concinnitatem; cum nervosa simul ac eleganter metaphorica sit oratio. Decus tandem, ὕψος & πάθος; cum aptior, sublimior, efficaciorque phrasis adhiberi vix ac ne vix quidem potuerit.

§. 20.

Quare & huic in specie interpretationi, jure maximo id convenire encomii, & qui rerum astimatores omnes judicabunt, quod integro celeb. ELSNERI in epistolam ad Philippenses commentario tribuit, vir longe supra omnes nostras laudes positus, eruditionisque veræ in Belgio stator, JOANNES V. D. HONERT. in præf. ad ejusd. edit. belg. Reperiri hic facilem, succinellam, realem, claramque expositionem, profundissimorum purissimæ theologie arcuorum, auctoritate divina unice fundatam; scripturæ cum scripture comparatione demonstratam; & ad purum intaminatumque dei cultum impensisime pariter ac tenerrime commendatam, quæque talem, tamque solidam, ac aliis interpres nullus dederit, informationem exhibeat.

B b 4

V.

## V.

CONRADI IKENII  
DISQVISITIO  
DE  
HELIOPOLITANIS MAJORVM  
KALENDARVM DOMINIS.

## I.

Cum sub finem partis præcedentis,  
Quæstionem de *Paulo Lauuenrode* proponerem, animus primùm  
erat, simul Virorum Doctorum  
sententiam rogare, quinam fuerint *Heliopolitani* illi *Majorum Kalendarum Domini*,  
quibus is Carmen suum inscripsit, unde  
& bimembbris illa Quæstio adhuc in initio,  
ubi Syllabus materiarum parte illâ conten-  
tarum exstat, legitur: de *Paulo Lauuenrode* & *Heliopolitani Majorum Kalendarum Domini?* Verum cùm dein propius hac de-  
re cogitarem, ipsemet nisi me omnia fal-  
lunt, hos *Heliopolitanos Dominos* detexi,  
cámque ob causam p. 191. de solo *Paulo Lauuenrode* erudiri optavi, simul pollici-  
tus me de his ipsum mox acturum. His  
igitur promissis, ut quantum per tenuita-  
tem

de Heliopol. Maj. Kalend. Domin. 377

tem meam licebit, faciam satis, præsenti  
Disquisitione annitar.

II.

De Majorum Kalendarum Dominis autem non opus erit, ut anxiè disquiramus, cùm hìc multi jam Viri Docti nobis lucem prætulerint. Scilicet cùm in mediis Papatùs tenebris diversi generis *Ordines*, *Collegia*, *Societates*, *Fraternitates* aut quocunque etiam nomine insignirentur, talia plurimum hominum ad certum finem inita sodalitia, erigerentur, inter alia quoque *Fraternitas Kalendariorum*, *Die Kalender Brüderchaft*, incertum quo tempore, fortè autem Sec. XIII. quo remotissima ejus vestigia inveniuntur, instituta est, cuius scopus erat *invocationem Sanctorum*, *purgatorium*, *merita bonorum operum*, aliósque Papatùs errores stabilire, quare JOHANNES AB INDAGINE peculiari opusculo *de Societate Kalendarum*, quod in bibliotheca Lipsiensi Paulinâ asservatur, scribit: *Kalendæ sunt societas religiose*, à calo i. e. *convoco*, quod convenienter se mutuo homines ad *communicandum bona sua mutuò* & *ad subveniendum animabus defunctorum &c.* ut FELLERVS Orat. mox laudandâ docuit.

III.

Uti autem sine dubio, ut modo memoriatus JOHANNES AB INDAGINE censet,

B b s

ori-

378. Conradi Ikenii Disquisitio

origo nominis *Kalendarum*, antiquum Latinorum *calo*, *voco* seu *convoco*, est, cui convenit Græcum καλέω & quod utrumque à radice orientali, apud Arabes superstite *Kâla*, dixit, unde & apud Hebr. vocabulum קָלָה *Kôl*, vox, reliquum est, descendit, ita tamen rectius inde, non ut idem facit, immediate, sed mediatè potius nempe per vocem *Kalendæ* derivatur, quoniam primis mensuram diebus seu *Kalendis*, conventus suos agere solebant: cùmque solemniibus his conventuum diebus, non solum honestum pro illorum temporum ratione, convivium adornaretur, ut cibum unà caperent, sed & successu temporis res hæc tandem in comediationes & compotationes, lusus omniaque inordinatae vita exercitia degeneraret, hinc tandem vox in proverbium abiit, & de illis qui integrum hebdomadem comedendo transigunt, dicitur adhuc in quibusdam locis: *Er kalendert die gantze vvoche durch: quemadmodum & pasim æque ac inter nos in hunc diem usque, de instructione lauti & opipari convivii dici solet, Einen grossen Kaland halten, anrichten, aut anstellen.*

IV.

Societates hæc constabant *Decano, Camerario*, qui reddituum curam gerebat, & reliquis membris, quæ primum tantum clerici

rici aut sacerdotes erant, dein autem illis  
quoque laici adjungebantur, quin & *sorores*  
tandem iisdem associatae sunt. Qui igitur  
in tali societate erant, appellabantur  
ordinarii fratres *Kalendarum, Kalender Bri-der.* Sic in Bullâ, quâ XXXVI. Episcopus  
Halberstadiensis HENRICVS, hanc soci-  
etatem in urbe *Gröningensi, ducatus Halber-*  
*stadiensis*, confirmavit, quâmque exhibet  
LEVCKFELDVS in Antiqq. *Gröningensibus*  
p. 114. seqq. legitar. *Hinc est quod affectibus*  
*cordintimis nobis supplicantibus discreis viris*  
DECANO, CAMERARIO, universis & sin-  
gulis FRATRIBVS KALENDARVM in Gro-  
ningen, ut eandem fraternitatem confirmare di-  
gnemur, &c. & paulò post: *Volentes autem*  
*diclis FRATRIBVS KALENDARVM gratia-*  
*m indulgere specialem, &c.* Aliquando (sine  
dubio honoris causâ) *Kalendarum Domini,*  
*Kalender Herren, dicebantur.* Sic in literis,  
quibus *Equites Ord. S. Joh.* tradiderunt curiam  
Brunsvicensem, quæ *Tempel-hoff*, dicitur,  
fraternitati Kalendariorum apud J. J. GEB-  
HARDI lib. infra tangendo von dem Stiffe  
St. Matthäi in Braunschweig p. 84. seqq. s̄apius:  
*To dem ersten dat vve dessen vorbenomenden Lu-*  
*den, unde de gemenen KALANDES HEREN*  
*bebben gelaten unde bevolento evvigher Tyd uſen*  
*Hoff to Sünte Mattevvese, & paulò post:*  
*noch neyman van uſes Ordenes vveghen vveder*  
*desse Latinhe un bevelinghe don yeghen des-*  
KA.

KALANDES HEREN. Imò dein uterque titulus conjungitur: *Hiromme dat vve unsen Hof vorghenomet hebben geleghen unde gelaten mit alle dessen vorschreven Stücken den vorschreven BRODEREN DES KALANDS*, des hebben desulve HEREN VN BRODERE uns un unsene Ordene gegheven anderthalb hundert Marck lodeges Sūlvers &c. Ibidem p. 119. in Presentatione & Investitura Dni Bertoldi de Hamelen, appellantur *Honorabiles Viri atque DOMINI FRATRES KALENDARVM sancti Spiritus.* conf. & litteras *Johannis Episcopi Halberstad.* apud LEVCKFELDVM p. 117. ut & verba Ordinarii Ecclesiae S. Matthæi apud RETHMEIERVM in *Antiqq. Ecclesiast. urb. Brunswig.* P. I. p. 153. in nott. Ceterum qui plura de hac Kalendarum societate desiderat, adeat, præter notissimam JOACH. FELLERI *Orationem de Fratribus Kalendariis* Lips. 1691. & Francof. 1692. cum adnotationibus CHRIST. FRANC. PAVLINI editam, scriptores alios magno agmine laudatos GEORG. GOTHOFR. KVSTERO in *Biblioth. Historicā Brandenburg.* Cap. XIII. p. 160. Nobis sufficit hic tantum præcipua verbo tetigisse, ut Lector tanto rectius de argumento in quo versamur, judicium ferre queat.

## V.

Quod ad titulum MAJOR. KALENDARVM Domini spectat, sciendum, duplicem fuisse  
Ka-

Kalendorum societatem, Majorum nempe, & Minorum, quæ posterior & simpliciter tantum Kalendorum dicta fuit. Utramque Zwickaviæ quondam locum habuisse, ex indubius monumentis docet FELLERVS Oratione laudatâ. Quemadmodum igitur sine dubio hi quibus PAVLVS LAVVENRODES carmen suum inscripsit prioris generis fuerunt, ita ex ipsâ hac dedicatione discrimen illud egregiè confirmatur.

## VI.

Præcipua difficultas in hoc argumento est, quinam per HELIOPOLITANOS illos Majorum Kalendorum Dominos intelligentur. Scilicet duæ quondam celebriores fuerunt urbes, quæ nomen Heliopoleos gesserunt, altera in Ægypto, alias, ut volunt, On dicta, in cuius nomo decentatisimum illud templum Hierosolymitanæ æmulum Onias condidit; altera in Cœle-Syriâ, ubi itidem admirandæ strukturæ templum Soli dicatum, cuius superba rudera in hunc diem reliqua manserunt, erectum fuit. Alias ejusdem nominis urbes in Ciciliâ & Thraciâ, aut quæ eodem aliquando titulo insignitæ sunt, ut, Corinthus &c. Plinius, Stephanus aliquique memorant. Verum nulla harum omnium hic loci in censum venire potest; præterquam enim quod Heliopolis Ægypti dudum

di-

diruta, & illa *Syrie* hodiè non amplius illud nomen gerit, sed potius *Balbek* appellatur, nullo indicio constat, in *Aegypto*, *Syria*, *Thracia* aut *Græcia*, unquam Societatem Kalendarum locum invenisse, multò minus concipi potest, quānam relatio nem aliquis in his Europæ oris ad remotissimarum illarum regionum societates habere potuerit, ut illis carmen suum inscriberet. Atque hinc dudum me suspensum tenuit, quānam hic *Heliopolis* intelligi debet. Tandem autem opportunò incidi in quandam Saxoniarum inferioris urbem, cui idem aliquando nomen adhæsit. Est illa oppidum non incelebre Marchia Veteris, ad fluvium *Zera*, (hodiè *Jetze*) *Soltvedel* aut *Saltzvedel* dictum, unde & tota Marchia, in quā situm, *Marchia Soltvedelensis* appellata est, de quā peculiarem dissertationem sub præsidio Celeb. CASPAR. SAGITTARII defendit *Johannes Hilgendorff*, Jenæ 1685. quæ deinde germanice reddita, cum not. & M. CHRISTOPH. ENTZELT *Altmärckische Chronica*, recusa est Saltzwedel. 1736.

## VII.

Hujus urbis antiquitatem uti nonnulli cum ERNESTO BROTVFIO in *Genedlogia Anhaltina*, & modo laudato ENTZELIO in *Chronico Marchico* mirè extollunt, & cum

cum ipsâ Marchiâ, quam eam ob causam  
quoque Romanam appellari censem, à DRV-  
SO conditam contendunt, ita simul no-  
men *Soltvvedel à culto Solis* ortum esse statu-  
unt. Imò ENTZELIVS & urbis & nomi-  
nis hujus originem jam ultra triâ ante  
Christum natum secula repetit, scribens de  
de Longobardis: *Adorârunt quoque in pri-  
mis manâ & vesperi Solem, inspectorem omni-  
um rerum.* Quare etiam singulare phanum &  
urbem exstruxerunt annis ante natum Christum  
318, atque hoc SOLTWEL appellarunt, ve-  
luti DÖMVM SOLIS, WEL enim veteri  
linguâ germanicâ significat DÖMVM, Domus  
quasi Solis. Hinc dicitur WELSAND, i. e.  
arena (*sand*) in domo seu arena domûs. Ita  
dicitur WELLERWAND i. e. paries domûs,  
qui domum cingit. &c. His gemina ex AN-  
DREÆ ANGELI Chronico Marchiae Branden-  
burgensis Lib. I. exhibit SAGITTA-  
RIVS Dissertat. laudatâ §. IX. Idem ex  
Veteri Chronico & ELIA SCHEDIO de  
Dîs Germanorum, addit, nonnullos existi-  
mare JVLIVM CÆSAREM, septem per Saxo-  
niam castella septenario planetarum numero  
dicata, & in his SOLTWEDELIVM IN HO-  
NOREM SOLIS condidisse, atque hinc, ut  
addit SCHEDIVS, à voce *Wedell* caudam de-  
notante, qualis Leonum est, Solem ita  
dictum voluisse à radiorum flammis, in  
pectore circumfusis, Verùm uti narratio-  
nem

nem illam de Julii Cæsaris septem castellis, meritò SCHEDIVS ipse nugas nuga-  
ciores quibusvis anilibus, ad forum ab  
otiosis mulieribus excogitatas, appellat,  
totamque historiam de *Marchia Solivvede-  
lensi* à Druso conditâ, non solum nullo  
genuino antiquitatis testimonio compro-  
bari, sed & aperte fabulam sapere, docet  
SAGITTARIVS, cùm Drusus nunquam  
Albim transferit, neque adeò etiam ad il-  
las regiones pervenerit; ita omnes illas  
quoque derivationes vocis SOLTWEDEL  
summo jure explodit, cùm neque *Sol Germanis*  
*Solt* dicatur, sed potius *Sonn* aut  
*Sunn*, atque adeo urbs hæc magis *Sonnen-  
wedel*, aut *Sonnwedel*, quam *Solvvedel*  
appellanda fuisse, neque proba-  
bile admodum sit, vocem *vvedel* do-  
minus significasse, multò minus verò  
*caudam*. Rectius autem longè præfert sen-  
tentiam illorum, qui à *Salis fontibus* urbem  
*Soltquell* aut *Solvvel*, pro quo dein SOLT-  
WEDEL dictum, nomen accepisse vo-  
lunt, quod & altera maxime con-  
sueta appellatio SALTZWEDEL confir-  
mat, quemadmodum & jam antea  
SCHEDIVS huic etymologiæ favens ad-  
notaverit: *Nam ab omnibus refertur, sa-  
linas olim hic plurimas fuisse: quæ uberrimo  
fonte colonos opulentissimos reddiderint.* Licet  
enim ipse SAGITTARIVS hac de re non  
vi-

videatur planè convictus fuisse, optetque  
adeò ut SCHEDIVS aliquot laudasset, qui  
*Salinas Soltvvedelii olim plurimas fuisse afferu-*  
*erint, cùm sibi se vix unus atque alter obtule-*  
*rit: rem ipsam tamen extra omnem dubi-*  
*tationis aleam ponit præter THVRNEISSE-*  
*RVM in libro, quem inscripsit, Pison P. I.*  
*p. 364. HOPPIVS in adnotat: ad SAGIT-*  
*TARII Dissert. germanicè cum Chronico*  
*Entzeliano editam p. 191, scribens: Situs*  
*Saltzvvedelii omnino est ad salinas, quas SA-*  
*GITTARIVS & WERDENHAGENVS sine*  
*causa in dubium vocant, quoniam adhuc con-*  
*spiciuntur: non longè enim ab urbe locus est*  
*Sulza (die Sulze) dictus, ubi aqua salsa in-*  
*venitur. Ante annos non admodum multos hæ*  
*salinae denuo investigabantur, sed easdem resti-*  
*tuere ob nimimè sufficientem ligni copiam, adu-*  
*væjor deprehendebatur. Quæ loca debeo*  
*Clariss. KVSTERO in Biblioth. Histor. Bran-*  
*denburg. Lib. I. Cap. III. §. VI.*

VII.

Tametsi autem lubens concedo, ex his  
principiis ultrò constare, rectius significa-  
tionem vocis SOLTWEDEL aut SALTZ-  
WEDEL à sale seu salinis, quam à Sole  
repeti, nec subscribere dubitem verbis  
modo laudati Kufteri §. XI. à Solis enim cul-  
tu SOLQVELLAM denominari nonnulli sibi  
persuadent. At enimvero explosa dudum est  
hæc sententia, quum à salinis nomen huic urbi  
contigerit: nobis tamen ad scopum nostrum  
T. II. P. II. C c sus-

sufficit, multis posteriorem placuisse, atque ex horum sine dubio sententiâ, urbem hanc quoque HELIOPOLIN appellatam esse. Sic MORERY in voce HELIOPOLIS ex Baudrando scribit: „HELIOPOLIS ville de „Marche de Brandebourg (ou Marquisat de „Brandebourg) dans le cercle de la haute Sa- „xe en Allemagne maintenant nommée Solt- „wedel, c' est à dire, vallée du Soleil &c. & in vo- ce SOLTWEDEL, „SOLTWEDEL, en „latin *Heliopolis, Urbs Solis, Vallis Solis*, petite „ville du Marquisat de Brandebourg -- On „dit, qu'elle tire son nom d'une statue du So- „leil, qu'on y adoroit, & qui fut detruite par „Charlemagne, quand il fonda cette ville. Gemina hisce HOFMANNVS aliisque habent.

## VIII.

Verum quæres sine dubio B. L. utrum igitur in hac urbe Kalendarum quoque societas locum habuerit? Fateor, me ipsum ad hanc quæstionem diu dubium hæsiisse, imò adhuc magis fluctuasse, postquam à Viro quodam docto, non longè admoti- dum ab urbe SOLTWEDEL disito, ad quem hac de re perscripseram, quémque, ut in illam penitus inquireret, rogaveram, mihi relatū est, se ab Amico quodam *Soltquellensi* responsum tulisse, quod excus- sis omnibus loculis & pluteis nihil in urbe illâ de hac societate invenerit. Neque ta- men vel inde tutò concludi intelligebam,

nul-

nullam unquam istiusmodi Societatem illic  
fuisse, cùm notissimum sit, per introdu-  
ctum divinum reformationis opus, multa  
quæ quondam in papatu locum habuerunt,  
adèò obliterata esse, ut ne minima quidem  
eorum vestigia in nonnullis locis appareant.  
Imò ut magis in conjecturâ illâ, quòd  
& in urbe hac Kalendarum fratres aut Do-  
mini aliquando sedem habuerint, confir-  
marer, efficiebat, quod Viros doctos ob-  
servasse videbam, in Saxoniam supe-  
riori, Westphalia & Thuringia vix insi-  
gnem aliquem locum fuisse, qui non unam  
duas aut aliquando tres Kalendarum socie-  
tates intra mœnia sua aluerit, quarum  
quædam tamen ita evanuerint, ut paucis-  
sima aut nulla sui vestigia reliquerint,  
quemadmodum præeunte Ven. RETHMEY-  
ERO docet plur-Reverendus GEBHARDI von  
dem Stiffe S. Marthæ in Braunschweig, Cap. III.  
Accedit quòd in primis in Marchia tam veteri  
quàm novâ, earum plurimas fuisse ostendit  
sæpius laudatus KVSTERVS Lib. III. Cap.  
XIII. §. IV. Tandem autem idem Vir Doctus  
omnique fide dignissimus, omnem mihi  
scrupulum exemit, quando ibidem disertè  
monet: DE (calendariis fratribus) SOL-  
QVELLENSIBVS AD MANVS SVNT  
COLLECTANEA HACTENVS INEDI-  
TA. Quis igitur amplius dubitare potuerit,  
ex eorum numero etiam hos *Heliopolitanos*  
*Majorum Kalendarum Dominos fuisse?*

## IX.

Cùm autem hac ratione non solum ex dictis inscriptio hæc Carminis Pauli Lauuenrodis non exiguum lucem acceperit, sed & iisdem vicisini plus uno modo illustrandis infervire queat, tum quoque carmen ipsum, licet centonibus ferè Homericis constet, quosdam tamen non planè incomitos versus complectatur: in primis verò luculentur testetur, quām egregie nonnulli jum tum temporis de indole Legis & Evangelii, nec non de gratuitâ justificatione senserint, & tandem ex illo fortè Auctor ejus proprius detegi queat, neque magnæ insuper molis sit, non ingratum Lectori fore existimo, si illud integrum hic loci cum titulo & dedicatione exhibuero. Quod ita de verbo ad verbum fiet, ut etiam ipsum nunc inusitatum nonnulla vocabula scribendi morem servari curem.

## VI.

DE  
LEGIS TRANSLATIONE  
ET  
GRATIA,

PER CHRISTI FIDEM JVSTIFICANTE,  
PAVLI LAVVENRODIS CARMEN.

DISTICHON INTERCALARE.

*Sola potest sincera fides nos iustificare  
Vnica celorum ianua firma fides.*

HELIOPOLITANIS MAIORVM  
KALENDARVM  
*DOMINIS PAVLVS LAVVENRODES.*

Iustitiam gratis consequuti, semper ope-  
remur bonum in fide, qui diffusius hec  
disquisierit, forsitan nodum videretur  
querere in sirpo, eo quod hec Christico-  
lis sint pegma solidissimum & totius scri-  
pture scopus. Justificati gratis Rom. 3. o-  
peremur bonum in fide, quia, Domine  
oculi tui respiciunt fidem Jere. 5. Et, quic-  
quid ex fide non est, peccatum est Rom.  
14. Hec diuina fides per Christi mer-  
tum domini spiritum nobis impetrat, quem  
credentes accipiunt, Nam spiritum acce-  
pturi erant credentes Joh. 7. cuius solius or-  
atio apud deum proficit, Orantes in o-  
mni tempore in spiritu humilitatis suscipi-  
mur Dan. 3. Consentaneum quidem est,  
quod omne simile suo congaudeat simili.  
Deus enim spiritus est, & eos qui adorant  
eum spiritu ac veritate oportet adorare  
Joh. 4. In spiritu adorare est credere, quod  
docuit Christus Joh. 6. Hoc est opus dei,  
ut credatis in eum &c. vbi aperte trans-  
fert legem, Et ad Ephe. 2. Legem manda-  
torum in decretis sitam abrogans, quia  
translato sacerdotio, necesse est ut legis  
quoque translatio fiat Heb. 7. Sed Chri-  
stus sacerdotium carnale per se transtulit  
in spirituale, ergo lex carnis per tale fa-

C c 3

ter

cerdotium accepta est, abrogata, & facta  
spiritualis & eterna. Non tamen ita lex ab-  
rogata est, vt non fiat, verum quod exa-  
ctius sub libertate spiritus fiat, qui exlex est,  
Sub hac spiritus libertate quidam succe-  
scunt spermologi, qui spiritus libertatem  
carni tribuunt, non considerantes spiri-  
tum duntaxat exlegem, carnem vero legis  
indigam, & interturbant omnia. Rursum  
sunt Cerimoniste, qui sub legis pretextu  
omnem perpetrant nequitiam, ac propriis  
operum meritis student, discredentes gra-  
tuite gratie qua hominem iustificari certum  
est, quos inordinatos notat 2 Tessa. 3. qui-  
bus non inepte occinatur, Reuertere, re-  
uertere Sulamis &c. Sic fit neutrobi quod  
fieri iustum foret, quantumuis in diuer-  
sum hec aguntur, nemo tamen inficias  
ibit hominem gratis per fidem iustificari,  
de quo hos versus vice apophoreti, vobis  
mihi patrocinaturis offero.

DE LEGIS TRANSLATIONE  
ET GRATIA PER CHRISTI FIDEM  
JUSTIFICANTE  
PAVLI LAVVENRODIS CARMEN

*M*osaicam complens venio non sol-  
uere legem,  
Mat. 5. Nullus Mosaicus legis abibit apex.  
Ante cadet terre moles & machina celi.  
Luce. 16. Quam cadat ex Mosis lege minutus apex.

- Ex minimis mandatorum qui soluerit unum  
Exheres celi iure vocandus erit. Mat. 5.
- Lex homini dominabatur quo tempore vixit  
Mortua lex vetus est lege solutus homo Rom. 7.
- Non sub lege sumus, quare peccabimus? absit,  
Est data ne pecces gratia quemque iuuans. Rom. 6.
- Venerit euacians Christus mandata vetusta  
Vtque duos, hominem conderet ipse nouum Ephe. 2.
- Scimus enim domini quod lex est spirituale Rom. 7.
- Nemo carnalis spirituale capit. 1 Cor. 2.
- Presule translato legem transferre necesse est  
Ceu presul quoque lex spiritualis erit Heb. 7.
- Spiritus est deus in placido vult spiritu adores  
Nam faciet veras spiritus ipse preces Joh. 4.
- Est per Ihesum accepta deo hostia spiritualis  
Spiritus offerri spirituale cupit x Petri 2.
- Ad patrem veniet nemo, veniet nisi per me  
Christus ego solus sum via vera patri Joh. 14.
- Est qui quotidie peragit sua sacra sacerdos  
Que delere tamen criminis nulla valent Heb. 10.
- Vnica peccatis sat erat tua victima Christe  
Que sacrata semel detulit omne nefas Heb. 10.
- Abrogat antiquam noua lex ob inutilitatem  
Lex vetus exanimat, lex noua viuificat Heb. 8.
- Non ego sacra volo, fratris volo sed misericordias  
Mitia corda sacris anteferenda putas Ozee. 6.
- Altare est nobis de quo phas edere non est  
Illi, qui altaris presto minister adegit Heb. 13.
- Perdius & pernox opus exercens operabatur  
Illis quos docui ne grauis esse velim Tessa. 2.

Gala. 5. *Libertas animi carni nunquam tribuatur*

*Spiritus est exlex indiga lege caro*

Psal. 123. *Contrito laqueo nunc libertate fruemur*

*Spiritus est liber sub ditione caro*

1. Cor. 6. *Non mihi conducunt quamvis mihi quequ  
licebunt*

*Omnia non profundt que mihi cunque licen*

Aq. 10. *Nemo putet commune deus quodcunque sa  
crarit*

*Sacratos censes quoslibet esse cibos*

Rom. 14. *Omnia munda, malum tamen est per scan  
dala vescti*

*Dum non offendunt edere queque licet*

1 Pet. 2. *Pretexenda malis libertas non erit ullis*

*Per nati mortem quem dedit ipse deus*

Rom. 14. *Vnusquisque deo de se reddet rationem*

*Prebebis fratri scandala nulla tuo*

Ephe. 4. *Aduersus fratrem nullus sit cordis amaror*

*Perpetuo comis fratribus esto tuis*

Lu. 17. *Reberis in cunctis seruus quod inutilis exstes*

*Feceris & quamvis omnia iussa dei*

Esaie. 1. *Solemnis pompas vestras quoque sperno ka  
lendas \**

*Non posco fieri sabbata vestra mihi*

Hiere. 6. *Cur ex longinquio mihi thura Sabea feretis*

*Et calatum suauem, que sacra nulla*

*placent*

*Sabbata nulla placent nisi que mihi cor cele*

*brabit*

Esaie. 1. *Vera tui dominus sabbata cordis amat*

\* videtur hic Auctor ipsos pungere Kalendarios C. I.

*Iustitie nullam speres ex lege salutem*

*Omnem iustitiam conferet ipsa fides* Philip. 3.

*Creditur Abrahamus domino ex hoc iustificatur* Gene. 15.

*Sed discredentem deprimet omne malum*

*O divina fides vite mirabile fundum*

*Tu firmum nostri viuere pegma locas*

*Ergo fides legem dicimus destruat? Absit* Rom. 3.

*Mosaicam legem dic stabilire fidem*

*Sola potest syncera fides nos iustificare*

*Vnica colorum ianua firma fides* Scopus

*Estque fides sperandarum substantia rerum*

*Non apparentum stat basis ipsa fides* Heb. 11.

*Ceu lorica fides assultus demonis arcet*

*Pro galea spes est omnibus una salus* Tessa. 5.

*Per pistim transire rubrum potuit mare Moses*

*Niliacus dum rex obrutus iret aquis* Heb. 11.

*Hostia per pistim fiebat maior Abelis*

*Quam fuerat fratris victima ficta sui* Heb. 11.

*Corpus ut extinctum quod alit nec spiritus*

*vllus.*

*Que non fructificat mortua pistis erit* Jaco. 2.

*Ex propriis meritis veniet iustis sua merces*

*Est etenim merces multa reposta bonis* 4 Es. 8.

*Non pisti tantum ex factis homo iustificetur*

*Non solum pistis sed pia facta beant* Jaco. 2.

*Ex operum meritis omnem sperabo salutem*

*Si radix operum sit mea firma fides* Jaco. 2.

*Ex operum meritis nullam sperabo salutem*

*Si radix operum sit mea ficta fides* Rom. 11.

394 Pauli Lauuenrodis Carmen

- Ve vobis scribarum qui decimatis anethum*  
 Mat: 23. *Immemores fidei iudiciique dei*  
*Quos vestit species ouium obseruate prophetae*
- Mat. 7. *Sepe tegit false pellis ouina lupum*  
*Excolans culicem glutit quandoque camelum*
- Mat. 23. *Ipsa pharisei mens simulata malitiae*  
*Occultare dolum studet omnis hypocrita fallax*
- Mat. 23. *Hypocrisis fraudes construit usque suas*  
*Carnales flamme nunquam vobis dominentur*
- ¶ Pet. 2. *Et uester sermo semper honestus erit*  
*Respice ne ledas obscenis vocibus aures*
- ¶ Cor. 15. *Cerrumpunt mores turpia verba bonos*  
*Moribus exprimitur qualis tua mens latenter intus*
- Lu. 6. *Demonstrat verbis peccora casta fides*  
 Scopus *Sola potest sincera fides nos iusticare*  
 scripture *Vniqa celorum ianua firma fides*  
*Viuificans miseros mortales gratia saluat*
- Ephe. 2. *Per pistum gratis gratia sola beat*  
*Ex proprio nutu saluat diuina potestas*
- Rom. 7. *Ex operum meritis nemo beatus erit*  
*Ex pietate dei felicem te fore credas*
- A&t. 15. *Ex precibus nostris non venit ulla salus*  
*Arbitrio domini donatur gratia cuique*
- Ephe. 4. *Dona dedit iuxta velle cuique deus*  
*Celestis soboles in nos est plena favoris*
- Ephe. 1. *Juxta quem gratis criminis nostra lauat*  
*Ire filioli natura nuper eramus*
- Ephe. 2. *Sanguine mercati gratis amore dei*

Ex

*Ex nobis ipsis ad opus nullum sumus apti*

*Ex virtute dei quod sumus usque sumus 2 Cor. 3,*  
*Justificat peccatores nos gratia gratis*

*Morte sua Christus diluit omne nefas* Rom. 3.  
*Nos a peccatis emundat sanguis Jesu*

*Qui fuit eterni filius ipse patris* 1 Joh. 1.

*Crimina deleui vanescentem quasi nubem*

*Ad me verte gradus namque redemptor Esa. 44.*  
ego

*Sanus es idcirco posthac peccare cauebis*

*Peccanti rursum ne tibi peius erit*

Joh. 5.

*Hunc ego delebo mihi qui peccauerit ulro*

Exo. 32.

*Nec queat in libro nomen habere meo*

*Omnis qui peccat peccati seruus habetur*

Joh. 3.

*Seruus peccati nescit habere polum*

*Curetis vigiles cor prauum ne sit in ullo*

Heb. 3.

*A viuente deo flectere quodue velit*

*Non impurabunt que sunt extrinsecus ori*

Mat. 15.

*Polluit internum pectora nostra nefas*

*Supprimit humanum diuina oracula verbum*

Mar. 7.

*Pontifices facient irrita verba dei*

Tim. 3.

*Vita sacerdotis vitiis sit subiuga nullis*

1 Pet. 5.

*Presulis officium verba docere dei*

1 Pet. 5.

*Pastores eritis gregis exemplaria vestri*

Tim. 6.

*Sic vobis merces non peritura datur*

*Ulro gregem Christi diuino pascite verbo*

Tim. 6.

*Non lucri causa sed pietate magis*

*Multorum scelerum radix est ardor habendi*

Tim. 6.

*Divitiis inbiens sepe pericla subit*

Tim. 6.

*Divitiis nullis dotati nascimur omnes*

Tim. 6.

*Nullas seruemus dum moriemur opes*

Prom.

*Promptius est per acus magnum transire ad  
melum*

**Mat. 19.** *Quam poterit locuples ire salutis iter  
Nulla sit argenti vobis auriue cupido*

**Mat. 10.** *Sit domini seruis ere crumena vacans  
Acceptum gratis rursum gratis tribuatur*

**Mat. 10.** *Non mercem facies gratia gratis erit.  
Gratia, pistis, opus, tria per que iustifi-  
camur.*

*Hec tria quemque beant, gratia, pistis,  
opus*

**2 Cor. 7.** *Nulla dei templo concordia cum simulachris  
Vos estis viui templa sacrata dei*

**Deu. 10.** *Saluabit solum nos circumcisio cordis  
Circumcisio caro proderit ipsa nihil*

**Esaie. 3.** *Tu deferto malum pravas mentis quoqua-  
fordes*

*Vis saluus fieri mente dicatus eris*

**Scopus** *Sola potest sincera fides nos iustificare*  
**Scripture** *Vnica celorum ianua firma fides.*



Af 2546

ULB Halle  
006 360 386



3

W/P





# SYMBOLÆ LITERARIAÆ

AD  
INCREMENTUM  
SCIENTIARUM OMNE GENUS

A  
VARIIS AMICE COLLATÆ.  
**TOMI SECUNDI**  
PARS II.



B R E M A<sup>Æ</sup>  
Sumptibus GERH. WILH. RUMPII.  
Anno MDCCXLVI.